

H. lit. P.

406

im

H. lit. P. 406 im

<36616627000018

<36616627000018 S

Bayer. Staatsbibliothek



HISTORIA  
MATHESIOS

IN  
BOHEMIA

ET  
MORAVIA  
CVLTAE,

A  
STANISLAO WYDRA,  
IN VNIVERSITATĒ PRAGENSIMATHE-  
SEOS PROFESSORE R. P. G.

CONSCRIPTA  
BONO  
AVDITORVM  
SVORVM.



---

EDITIO ALTERA.

---




LIPSIAE ET FRANCOVRTI,

---


MDCCLXXVIII.

H. d. A. P. 406 im

**Bayerische  
Staatsbibliothek  
München**



---



AD  
STVDIOSOS MATHEMATVM  
BOHEMOS.

**Q**uod ante me in hac celeberrima scientiarum Vniuersitate præstitere Viri de literis & Patria nostra optime meriti HAGECIVS ab HAYK, & BACHATIVS; qui ut iuventuti ad honestatem, bonasque artes consecandas animos adderent, illustria Majorum exempla ob oculos posuerunt. Idem mihi faciendum putavi in omnem quidem partem intento, ne adulescentes nostri a præclaris veterum Bohemorum vestigiis deflecerent.

Sed cum tradendæ Matheseos munus in Academia hac obeundum acceperim, nihil unquam antiquius habui, quam ut creditam mihi pubem ad divinam hanc scientiam amandam, totoque hauriendam pectore, quibus possem modis, incitarem.

Occurrit istud opportunissimum futurum, hortante, ut facerem, Illustrissimo Heroe FRANCISCO S. R. I. Comite KINSKY Bohemiæ suæ studiosissimo, si Viros tam sub cælo hoc natos, quam aura hac quondam usos, utentesque etiamnum literis consignarem, qui immortalem

ob cultas, promotasque mathematicas disciplinas memoriam sint promeriti.

Nam vilis ejusmodi exemplis cum Sallustio dicent juvenes nostri: *quanto vita Majorum præclarior, tanto posterorum fœcordia flagitiosior, Majorum gloria posteris lumen est, neque bona, neque mala eorum in occulto patitur*; pudebit Heroum filios esse noxas, & scientiæ a Veteribus plurimum expetitæ audire neglectores: Opportune LVPATIVS ad Illustriss. WILHELMVM VRSINVM aROSENBERGA scribens: *Tametsi Gymnasium Pragense omnium aliarum Professionum, quæ publicis in scholis frequentari, & exerceri solent: tamen in primis mathematicarum disciplinarum professionem jure sibi optimo vendicavit, in qua excellentes fiderali scientia Viri, velut antesignani, atque diversis temporibus emicuerunt.*

Magister vero THADDAEVS HAGECIVS ab HAYK in oratione de laudibus Geometriæ anno 1557 in Pragenſi Academia recitata, pluribus egregiis Mathematicis, quos Bohemia protulit, commemoratis, ita demum concludit: *hæc videtis, est gloria amplissima non tam illis, quam nobis parta & relicta, hanc nos non æmulabimur? hæreditatem nobis relictam non obviis ulnis amplectemur? aut hanc gloriam ad alios transferrî nostra pusillanimitate, ne dicam rusticitate patiemur? -- Agite jam tandem nos ipsos ex hoc vetero exsuscitemus, & exemplo Majorum nostrorum accendamus, ut in omni genere laudis excellere, & clari esse possimus.*

Sed est etiam alia, quæ me ad qualemcunque



que laborem hunc suscipiendum movit ratio : Patriæ nempe meæ (Reginæhradecium est) oranda: studium ; dedit illa quidem Viros Bohemiz, in quibus multæ, & reconditæ erant literæ, sed duos præprimis Mathematicos in antiquitate celeberrimos : SSINDELIVM, & LEOVITIVM, quorum ubi meritissimas laudes copiosius, atque alii ante me fecerint, texuero ; næ communi mihi cum illis Patriæ maximam gloriæ accessionem procurabo.

Iam cur ad scribendum accesserim, exposui ; e quibus fontibus scripta hauserim, deinceps indicabo : præcipuum operis argumentum dedit *Clementina Bibliotheca*, cujus libros omnes, qui de Mathematicis in Bohemia quondam celebribus agere posse videbantur, excussi, & velut nata ex labore apis *floriferis in saltibus omnia libat*, quod in rem meam faciebat, selegi, atque ad hanc formam adduxi.

Verum molestia ejusmodi devorata, quo gressum promoverim, non vidissem, si *Bohemia docta* BALBINI Popularis mei (cujus Ms. amico meo non admodum pridem a quodam surreptum est,) in lucem tandem solertissimi Editoris curis protracta, lucem mihi non affudisset, quam expectando, consilium tractatus hujus condendi a duobus jam annis hucusque rejeci.

Neque tacenda sunt volumina res gestas, & imagines Virorum in Bohemia & Moravia illustrium referentia, quorum cum pretium apud me sit summum, usus exiguus esse nequit.

Accedit : adjutum me fuisse LEOPOLDI SCHER-

SCHERSCHNIKII commentario de *Doctis Regina-bradecensibus*. GEORGII WEIS e Soc. Jesu Popularis mei gloria *Vniuersitatis Pragensis*, BALBINI *Epitome rerum vobemicarum*, SOTVELLI *Bibliotheca Soc. Iesu*, & LVPACII *Calepdario historico*, IOECHBRI etiam *Eruditorum Lexiso*, FRANCISCI MILIET de CHALES Soc. Iesu *de illustribus Mathematicis commentario*, denique *historia Matheleos* IOANNIS STORHAVSEN.

Istorum, pluriumque aliorum volumina materiem scribendi dederunt, mea in colligendo, componendoque versata est industria; si orationis venustas desiderabitur, dicam, quod de Catone Tullius: *in ea me esse bæresi, quæ nullum sequitur florem orationis; neque dilatat argumentum, sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis, quod proposuit, efficit.* Nam Mathematicorum perinde ac Stoicorum concisus, & ornatu omni destitutus est sermo; atque ideo huic assueto non licet continuo esse eloquenti, dum ad aliud tractandum se confert argumentum.

Verum a Matheleos Professore non historiam, sed aliquid mathematici ingenii non nemo expectaverit? pace mea sibi etiam promiserit; mihi sane istud omni tempore meditatum erat, maximum, quem possem, in Bohemia Regno numerum Matheleos amantium, ut procurarem; putabam vero hanc historiam plus ad consilium meum momenti allaturam, quam si scriptum aliquod e Mathesi recondita petiitum luci committerem, quod idem forte subiret fatum, atque alii hujus generis libri, ut non legeretur:

retur : quia, qui se lectione ejusmodi oblectent, non adeo multi sunt : nempe lectores libris defunt, non libri lectoribus : augere itaque lectorum censum, majoris mihi videbatur in Mathesim meriti, etsi minoris nominis, quam librorum de Mathesi agentium infinito propemodum numero aliquid addere.

Ad hæc quis nescit ? non ejusdem esse moliminis historiam scribere, & mathematica pro dignitate tractare. Illud per otium animi causa præstari potest, hoc animum totum, & ab aliis curis liberum requirit; me vero tam paratum atque expeditum esse, quis sibi persuadeat? Auditores quadringentis plures instituendos habentem, quorum si bono consulere velim, mihi vacare, prout cupiam, minime possim.

Erunt porro in hoc tractatu multa quibusdam jejuna, quæ plenius dici debuissent. Erunt fateor, sed documentorum inopia aliter dari nequibant. Nam de Viris Societati Iesu adscriptis ut solum loquar: illorum laudes ampliores scribi potuissent, si sublatum, in quo vivere, institutum non fuisset, eo enim perditio, omnia periere hic ex usu futura monumenta.

Vnum adhuc diluendum est, quod opponi posset: quosdam obscuros hic comparere, locumque inter illustres immeritum occupare. Sed hi etiam quanquam minutuli commendationem sibi pepererunt immodicam, quod ætate, qua nullum prope Matheseos prærium erat, nulla laboris præmia, incitamenta nulla existebant, verbo in Aristotelicis tenebris velut stellæ minoris licet magnitudinis micabant.

Iam nihil dicendum restat, quam ut vos comprimis, qui in disciplinam mihi traditi estis, vehementer rogem verbis Clariss. CHRISTIANE WOLFFII: *quotquot natura melioris ingenii, ac animi dotibus ornavit, quam ut de pane lucranda solum cogitent, evolvite hæc folia eo consilio, ut nisi Majoribus vestris dissimiles esse velitis, summum in Mathematicum studium, conatus assiduos convertatis. Et quod Thucydides monet ad victoriam parandam esse necessarium; nempe ut milites cupidi sint dimicationis, deinde ut obtemperent ducibus recte momentibus; idem suadeatis vobis faciendum. Momenti mihi aures & audiendi cupidas, & obsequentes date, ita victis, quibus initia horrent, difficultatibus, ad cognitionem Mathematicam Majoribus vestris non indignam, Bohemix vero gloriosissimam subinde enitemini.*

Nolim studia vestra e rudium quorundam sententia ad *panem lucrandum* jam in hac ætate transferatis. Aristippo potiore fidem habere affirmanti: *satiùs esse fieri mendicum, quam indigentem, quod ille solum eget pecunia, hic humanitate.* Et si ex sensu Tullii *literæ omnes, hæc omnino xar' ελοχαυ' & temporum, & locorum, & ætatum sunt omnium, quippe quæ studia adolescentiæ regunt, & senectutem oblectant.*

Sed jam ad rem ipsam accedamus, singuli hic laudandi Viri cum fere tenebunt locum, quem, ut conjicere licuit, cuique ætas sua dedit.

IOAN.



## IOAN. BOCATIVS DE CERTALDO.

**J**oannes Bocatius de Certaldo natus Florentiæ, Philosophus & Astronomus celebris, utriusque artis inter primos a Carolo accitus Professor doctissimus, denatus 1365 ætatis 62.

## MAGISTER GALLVS.

**M**agister Gallus Mathematicus, ejusque scientiæ Caroli IV. Imperatoris temporibus in Vniuersitate Carolina Professor, tantum in astrorum notitiâ excelluisse traditur, ut nemini suæ ætate concederet, scripsisse eum quam plurima Codices vetusti affirmant, ego, *Balbinus* inquit, nihil ab eo profectum, hætenus vidi. *Lupacius* narrat ad 32 Junii illum, an. 1445 in Bohemia inundationes factas multos ante annos, ætate videlicet Caroli IV, ex corporum cælestium positu præviso prædixisse. Veniam meretur tam *Lupacius*, quam *Gallus* aliique plurimi, quibus divinationes ejusmodi probabantur,  
cum

cum eidem errori summus Vir *Keplerus* multo serius sit involutus, ex quo manifestum fit, non Astrologorum ingenia, sed quibus serviebant, tempora esse ridenda.

## MAGISTER CHRISTANNVS.

**C***hristianus*, sive *Christannus* Prachaticii in Bohemia natus, Academiae Pragensis Magister, insignisque Mathematicus, cum ad ædem *D. Michaelis* in antiqua urbe Pragensi Ecclesiasten ageret, an. 1437 die 28 Aprilis Consistorio ecclesiastico Archiepiscopatus Pragensis Ecclesiae, sub utraque sumentium, præficitur Administrator. Narrat *Balbinus* futurorum ex astris prædictione, eventu probata istud tandem obtinuisse, ut Pragensis Astronomi nomine sua ætate designaretur, consuli solitum, velut oraculum, & ex vicinis remotisque Provinciis ex ejus domo petita responsa. Decessit Vir in disciplinis mathematicis, inque medicis per ea tempora excellens, die 23 Maji an. 1438.

## IOANNES DE PRAGA.

**D**e hoc *Ioanne* ita *Balbinus* in Bohemia doctae Lipsiensis Bibliotheca Manuscriptorum Codicum, laudat *Ioannem* de *Praga* Astronomum Imperatoris, sine dubio *Friderici III*, qui anno 1440 summam Imperii obtinuit, Bohemum, cujus Codicem Ms. servant cum titulo: *Novitates de Turcis*. An in eo libro contineantur Vaticinia de Turcis, aut historia, non possum dice-

dicere, cum librum ipsum non viderim. Forte idem hic est cum Sfindelio.

## IOANNES SSINDELIVS.

*S*cbindelium alii scribunt, *Schinttel* alii, aptissime ad vocem bohemicam *Sfindelium* scripseris. Primam lucem aspexit Reginzhradecii urbe Bohemiz ( ut *Stranskius* editione *Elzeviriana* anno 1643 *Lugduni Batavorum* habet ) eleganti ac populosa, a Praga & Cutna, quantumvis ringente Plzna ex *Wladislai* Regis privilegio dignitate proxima. Historiam, Medicinam, Mathesim coluit; historicum fuisse colligitur ex *Lupacii* 5 Ianuarii, ubi ad *Sfindelium* se revocat; Medicum ostendit commentarius manuscriptus in *Macri* versus de virtutibus herbarum, qui extat in Bibliotheca Clementina Y. III. 4. n. 41. mathematica illius opera nulla licuit videre, plurimum tamen in Mathesi potuisse documentis sequentibus discimus: in tabulis eclipsum Magistri *Georgii Peurbachii* a *Georgio Tanstettero* editis an. 1514 inter Viros Mathematicos, quos inclytum Viennense Gymnasium ordine celebres habuit, nominatur ad annum 1406 *Ioannes Schinttel* artium Magister: qui varia & jucunda quidem in *Astronomia* elaboravit.

Sed *Thaddaei Hagecii* in oratione de laudibus Geometriæ maximi ponderis est testimonium, ita ille: longum esset recensere, qui in Academia nostra, inde usque ab anno 1347 quo pri-

primum erecta est, ad hunc usque diem in omni studiorum genere claruerint. Præcipuus occurrit M. *Ioannes Sfrudelius* domi forisque clarissimus, *Synchronus*, & familiaris *Blanchini* Itali, ille quanta eruditione fuerit, partim Regis favor, partim Clarissimi Senatus Norinbergenfis in ipsum liberalitas, cujus sæpe in suis ephemeridibus, quarum quædam adhuc reliquæ apud nos habentur, meminit, testantur; partim etiam testimonium doctissimi Mathematici *Blanchini* Itali, qui opus suum tabularum, quod etiam nunc extat, illius iudicio, & censuræ subijcere non dubitavit. Sic enim ipse *Blanchinus* in epistola dedicatoria ad *Fridericum III.* Imperatorem scripsit: *qua in re & doctorum hominum correctioni, & præcipue Ioannis Pragensis, Viri acutissimi, atque Doctoris peritissimi iudicio me ipsum subijcio.*

Neque *Aeneæ Sylvii* data an. 1441 ad *Sfrudelum* epistola silentio prætereunda: *nunquam, inquit, ego te vidi, neque tu me ut arbitror videristi, sed hæc fama facit, ut te unice observem; nam Sæculi nostri præcipuum decus censearis, qui siderum cursus unicus prædicere noris, hinc te amo, colo, observo, sumque tuus. Et infra: Tu ergo Vir præstantissime jure a me amaris, qui tua singulari, ac præstanti virtute, nostrum ornas Sæculum &c.*

Denique quantum vita manente Bohemiam, ut vidimus, doctrina, virtuteque ornavit, tantum præcipuam scientiarum sedem, Carolium nempe Collegium sua liberalitate moriens præ-

vit.



vit. Cui 200 fere Codices Medicos, & Mathematicos donavit. *Balbin. Part. I. Bohemica doctæ Sect. 15.*

## ANDREAS STIBORIVS.

**A**ndream Stiborium Olomucensem Canonicum nobis a Matheli commendabilem reliquit *Augustinus Kafembrod* vulgo *Moravus*, Olomucii in Moravia natus, ibidemque Canonicus, *Archidiaconus* primum, tum *Præpositus*. Nam cum in Gymnasio Patavino versaretur anno 1495, inscripsit *Andree* avunculo suo literas, quas tabulis *Blanchini* anno 1526 Venetiis iterum editis, præfixas legi, in quibus initio in laudem inventæ artis typographicæ excurret, ejusque ope fieri lætatur, ut doctorum Virorum monumenta, paucis ante cognita, cuivis familiaria, ac propria esse possint, quorum e numero præstantissimum *Blanchini* sit opus: quod ipsum Augustini est oratio, cujus potius auspiciis fiet, quam tuis, qui divinarum, humanarumque rerum peritia illustris, in his disciplinis, quas mathematicas Græci appellant, ita etiam emineas, ut tibi in iis compares paucos, superiorem vero non facile invenire possimus.

In tabulis eclipsium *Peurbachii* superiore articulo laudatis, *Stiborius* audit Philosophus, Mathematicus & Theologus acutissimus. Mathematicam multis annis publice cum magna sua gloria: & denique maxima suorum discipulorum utilitate professus est. Ejus denique ingenii excellentia ex operibus, quorum ibi index texitur, editis luculenter ostenditur.

---



---

## M. LAURENTIVS.

**M**agister *Laurentius* Academiæ studii Pragensis Matheleos Professor. Eum *Lupacius* ad 26 Maji anni 1485 affirmat dixisse: eclipses totalis hoc anno visæ effectus, vix intra 16 annos finitum iri. Obiit anno 1491 die 23 Martii.

## MARTINVS BOHEMVS.

**M**artinum ab anno 1497 mathematicis scientiis floruisse, quas Norinbergæ a *Regio montano* quondam didicit, non hodie ex *Balbino*, sed ante annos facile decem & quatuor intellexi, cum elegantissimi *Rerum Indicarum* Scriptoris *Maffæi* e Soc. Iesu librum primum legerem; ibi enim perhibetur, non ab *Emmanuele*, ut *Balbinus* vult, sed ab *Ioanne*, ni fallor *Lusitanorum* Rege ejus nominis primo, missum ad Indias orientales *Vascum Gammam* viæ comites accepisse *Martinum* Bohemum, *Rhetoricum* & *Iosephum* Regis Medicos felicissimo navigationis successu. Quippe hi tres Mathematicum Magistri adinvenere instrumenta nulli ante nota, quibus ex altitudine solis observata cursus marinos regerent, quo loco navis consisteret, quantumque a relictis littoribus circiter distaret, quo tenderet, sagaciter ex astrorum legibus pernoscerent. *Instrumenta* hæc *Barrosium* in *Gammæ itinerario* describere, Author est *Balbinus*.

WEN.

---

---

WENCESLAVS FABRI

DE

BVDEWEIS.

**W**enceslaus Fabri Budwicensis Bohemus Medicinæ Doctor, Astronomiæ peritissimus, edidit opusculum tabularum utile verarum solis & lunæ conjunctionum, quod anno Christi 1499 rursus renovatum dubio procul Lipsiæ typis commisit, nam sub finem libelli ita lectorem monet: *Scias autem hanc supputationem supra oppidum Lipsense factam esse. Ut autem in usum aliorum locorum tabulas nostras aptare posses, subjunximus tabulas Provinciarum & civitatum insigniorum, quibus sunt horæ minuta tantum apposita, quæ adde vel subtrahere a conjunctione vel oppositione vera super Lypczk calculata, juxta notam  $\alpha$ , vel  $m$ , & habebis tempus conjunctionis aut oppositionis veræ, & æquatæ ad locum propositum.*

PAVLVS HLAWSA,

ET

WENCESLAVS ZATECENSIS.

**P**aulus Hlawsa Przibramensis, & Wenceslaus Zatecensis, insignes in Academia Pragensi Mathematici anno 1520 die 23 Aprilis morbo populari per Bohemiam grassante extincti sunt, hæc Lupacius. Quibus quod addam, non habeo, malui tamen vel nuda hæc nomina ad posterum.

sterorum memoriam transcribere, quam iniquo silentio eorum in Mathesim meritis, mihi licet ignotis, derogare.

## PAVLVS PRZIBRAMVS.

**M**agister *Paulus Przibramus* Patria Pragensis, ejusdem Academiæ Professor publicus, Mathematicus excellens, vivis ereptus est die 5 Octobris anno 1520 morbo epidemico Pragæ grassante. *Lupacius* nitens manuscripto Magistri *Sfadi*, accusat oppositionem Saturni cum Marte, quæ, eam semper metuenti *Przibramo*, mortem attulerit. Sed ego non oppositione Planetarum dicta, verum inani, efficaciam, si vehemens fuerit, ejus timore extinctum credam.

## IOANNES GELENIVS.

**D**ignum esse *Gelenium*, qui inter ingenia Mathematici feliciter tractandæ idonea computatur, ita didici: nam legens *Ioannis Garçai Astrologiæ Methodum* insigni volumine comprehensam, & Basileæ anno 1576 typis datam. Inter innumera Virorum clarissimorum nomina deprehendi etiam: *Genesim Ioannis Gelenii Mathematicum studiosi, Lytomericensis, felicissimi ingenii & capacissimi, nati anno 1535 die 25 Decembris.*

IOAN.

---



---

## IOANNES HORTENSIVS.

**I**oanni *Hortensio* Praga primam lucem dedit anno 1501. Vniversitas Pragensis amplifimos contulit honores; Magister enim in artibus creatus, Mathesim magna nominis sui commendatione docuit, doctrinæque suæ Ephemeridibus, aliisque scriptis posteritati relictis luculentum specimen edidit; mihi nihil istorum contigit videre. Subinde Reætor Vniversitatis Magnificus, nec non Collegio Regis *Wenceslai* Præpositus. Denatus tandem 2 Aprilis an. 1557 & in templum Bethleemiticum illatus.

## NICOLAUS SSVDVS

A

### SEMANINA.

**L**itomiflium non ignobile Bohemiæ oppidum Patria *Nicolao* obtigit. In Pragensi Academia Studiis literarum eam navavit operam, ut deinceps Magistri titulos, & *Professoris* Matheseos dignitatem obtinuerit, Decani etiam *Facultatis Philosophicæ* honore conspicuus. Mathematicum excellentem, præstantem Philosophum, nec hebrææ linguæ rudem, eoque illustre Gymnasii Pragensis nostræque Patriæ lumen extitisse scribit *Lupacius*.

*Ephemerides cum prognosticis* jam tum ab an. 1520 sed populari tantum sermone scriptas, ad obitum usque suum in lucem emittebat,

B

Ob

Obiit quod a *Ferdinando* Rege amatum, auctumque stipendio *Bachacius* affirmat. Obiit an. 1557 die 23 Aprilis. Honorifico frequentique funere elatus, ad Divæ Mariæ Aedem, ad cunas dictam quiescit.

## ANDREAS CLATOVENVVS.

**A**ndreas Clatovenus Bohemus, anno 1530 Norimbergæ Elegantem de Arithmetica libellum Bohemica lingua a se scriptum, juris publici fecit, Fratrique suo Adolescenti *Swa-toslao* Patria Clatoviensi dedicavit. Quâ in dedicatione multis ex antiquitate petitis documentis ostendit, Arithmeticæ cognitionem sapientum iudicio necessariam semper fuisse habitam: inter quos nominat D. *Augustinum* monentem, nemini seu ad Sacras, seu profanas disciplinas aditum patere debere Arithmeticæ ignaro.

Compendio autem se de Arithmetica hic acturum dicit, quo Horatianum illud præclare a se Bohemice redditum impletet: *ucz' kratze, aby vczednitzzy rychlegy pochopitz, pamnietly-wiegi zachowali.*

Opusculum quatuor tractatibus comprehenditur: *Primus* agit de Arithmetica in Characteribus Arabicis. *Secundus* de Arithmetica in lineis, simulque regula trium. *Tertius* de fractione numerorum. *Quartus* de Arithmeticæ apud negotiatores usu; ubi regulam Societatis, & Cambiû, regulam lucri & damni,

com-

commutandarumque mercium, deinde regulam virginum, & interusurium optima in luce collocat. Utque adolescentes Bohemos ad legendum eo facilius alliceret, frequentibus, argumentoque accommodatis imaginibus opus totum exornavit. Sub finem promittit se de radice quadrata, & cubica propediem scripturum, quod an expleverit, nescio.

Libellus hic prodiit typis *Friderici Pey-pusii*.

## VLRICVS PRAEFAT

DE

## WLKANOWA.

**V**lricus vel *Vdalricus Praefat de Wlkanowa*, Equestris ordinis vir, natus est Pra-gae 12 Maji anno 1523. Ibidemque tumultum invenit an. 1565. Catholicis Sacris addictissimus, ea fuit morum innocentia, quae ipsis etiam aemulis probaretur. Ingeniosus Mathematicorum instrumentorum artifex, & Hierosolymitano, ac Compostellano, tum aliis longinquissimis terra, marique itineribus celebris, atque clarus. Palaestinum iter, quod salvus atque sospes peregit, ipse populari sermone descripsit; de quo plura *Balbinus in Bohemia doctus*.

## BAVOR RODOWSKY.

**B**avor Rodowsky junior de *Hustirzan* Eques Bohemus, Dominus in *Ratostow*. Fuit

B 2

vic

vir fiderum ſcientia ſua ætate clariffimus, & circa ann. 1572 apud *Wilhelmum de Roſis* gratioſus. Plurima aſtronomica patrio idiomate opuſcula typis edidit; ut tractatum aſtronomicum de ſtella nova in Caſſiopea viſa. Carmine etiam excelluit, tranſtulit ex Græco vitam *Alexandri M.* & quædam ex Plutarcho. Ita *Balbinus.*

## CYPRIANVS LEOVITIVS

### A LEONICIA.

**C***yprianus Leovitius*, Bohemice: *Lwowitzky*, & *Lwowitz* lucem hanc primum aſpexit Reginz-hradecii urbe Bohemiæ olim frequentiffima, an. 1514, Patre Ioanne *Leovitio* Viro Nobili, urbiſque Prætore; Hic ipſe filio de literis optime merituro præluxit: nam ad Præturam uſque Ioannis, Gymnaſii Hradeceni alumni ſtipem per domos ſtatis diebus corrogare jubebantur pro inſtitutoribus ſuis alendis, quam ſtipis coactionem *recor-dationem* vocabant. Rem literis indignam, civibusque gravem ille ratus, de ſtipendiis annuis Senatus decreto (quod in manibus habui) Magiſtris providit.

Sed *Cyprianus* filius ſcientiarum ſtudio, atque gloria parentem vicit: More enim illius ætatis, relicto patrio ſolo in Germaniam Matheſeos cumprimis penitus cognoscendæ deſiderio migravit; ibi *præceptore* (ut ipſe in do-



doctrina de judiciis nativitatum ait) *Amantissimo* Philippo *Melanctone* est usus. *Tycho- nis*, *Schoneri* præclarissimi apud *Norimbergenses* astronomi, *Hieronimi Wolffii Augustani Gymnasiarchæ* amicitii claruit, apud *Ottonem* adeo ipsum *Palatinum Rheni* graciosus, ejus *Mathematicus* audiit. Opibus nobilissimæ *Fuggerorum*, & *Rosensum* familiæ juvabatur. Denique *Lavgingæ* ad *Danubium Professorens* *Matheseos* celeberrimum egit.

Tantus apud exteros cum existeret, ad patriam suam redeundi, eamque doctrina sua auctoritateque ornandi, consilium iniit, quem admodum continuo videbimus: in *Manuali Consulari Archivi Hradecensis Lit. A. anni 1568*. Hæc patria lingua habentur, quæ ne longus sim, stringam.

*Cyprianus Leovitus* Senatui supplex accidit, liceret sibi in Patriam suam cum conjugè redire cogitanti, bicque deinceps habitaturo *ce-revisiam* more aliorum Civium coquere, libereque divendere; id ubi impetraverit, in gratissimi testimonium promittit, se *gymnasio* invigilaturum, & *lectiones* publicas habiturum, *Legati* etiam ad *Cæsarem* in civitatis bonum officio functurum. Quod ut *Magistratui* innotuit, simul placuit.

Ex eodem libro *Lit. C* hæc quoque referri merentur. Cum *Cyprianus Leovitus* a *Leonicia Mathematicus* *Consulem*, *Amplissimumque* *Senatum Hradecii* supra *Albim* enixe rogarit, ut domum a parente suo bonæ memoria

ria Ioanne seniore hereditate acceptam cum Diana conjuge incolere volens, jure coquendæ cerevisiæ donaretur, promittens fore, ut absque ulla mercede, solo Divinæ gloriæ promovendæ, Et excolendæ juventutis patriæ studio, duas in hebdomade lectiones habeat, legationesque ad Cæsarem pro civitate obeat, quin ad Regni comitia eundem jus sibi arroget.

Quapropter Consul Senatus, Et Seniores plebis nomine civitatis totius, scientes Cyprianum Virum dignissimum, a Deo peculiaribus donis ornatum, Et præcipuo apud omnes locis esse, quodque omnia vincit, patriæ suæ bonique publici studiosissimum; decreverunt ultro, non coacti, salvisque jure, libertate, Et privilegiis suis, cerevisiæ coctionem petenti futuram integram, cum promissis steterit. Actum in Senatu ipso die SS. Fabiani & Sebastiani anno 1568 Consule D. Jacobo Selio.

Ob allatam utramque hanc ex antiquitate sententiam, spero apud populares meos non mediocrem initurum me gratiam, ex illis enim manifestum fit, : quanta Civitatum Bohemiæ olim fuerit nobilitas, quam acre juris tuendi studium, quæ in viros doctrina claros voluntas, quamque sollicita erudiendæ juventutis cura.

Sed Cyprianus hac civium suorum in se propensione usus non est, mutato enim redeundi ad patriam consilio Lavgingæ ad supremum usque diem confedit, erat is 25 Maji anni 1574, qui eleganti apud Lupacium etæosticho exprimitur :

Vrbani splendente Die, sic parca ferebat,  
Carpl't Iter Lethl. triste Leovicivs.

Epitaphium perelegans pictura & ingenio, memoriz ejus ab amicis suspensum, quod vidisse se *Balbinus* in xde S. Spiritus narrat, cum necdum ex ephelis egressus esset, mihi nunc solícite omnia lustranti videre datum non est.

Atque ideo aliud marmore æreque perennius *Leovito* adornabo. Vastissimo atque nobilissimo *Cyprianus* erat animo; quis enim in hanc sententiam non veniat, ipsum de se loquentem audiens? ita ille tractatum de judiciis nativitatum concludit: *ego certe, quod ad universum hoc (ephemeridum) opus pertinet, nullos labores defugi, quantumvis molestos & graves. Neque valetudini pepercí, dummodo publicis studiis pro mea virili prodessem, & otii mei honestam rationem reddere possem. Ac spero hanc meam operam studiosis harum artium gratam futuram; neque ullæ opes, aut ullum regnum mihi tanti erit, quam communis reipublicæ literariæ utilitas, eamque deinceps pro mea virili parte, quibus rationibus juvare, & ornare possim, ea fide & diligentia faciam, ut constet me singulari erga rempublicam literariam amore & fide fuisse.*

Et omnino felicissime cecidit, ut qualem se ferebat *Leovitus*, talem perspicacissima illius ætatis ingenia editis in publicum testimonis confiterentur; Hieronymus *Wolffius*, notum inter Eruditos nomen, in epistola ad *Cypria-*

prianum anno 1557 data ita habet : *Ceterum bona mihi spes est, Hieronymi Cardani praestanti ingenio, & multiplici reconditarum artium doctrina, & tua fideli, & solerti opera, quam naturæ propitiæ singularis quidam genius adjuvat, divinam Matthesin pristinam dignitatem, & auctoritatem recuperaturam.*

Plurimum vero apud æquos rerum affirmatores valebit Tychonis Brabæ de Leovitia sententia ; hic astronomiæ instauratæ parte I C. 10 pag. 704, ubi de nova stella anni 1572 agit, recenset Cypriani de ea iudicium Lavgingæ ad Danubium anno 1573 typis datum. Quod quidem rejicit, monens : *astrologiis vaticinationibus impensius addictum fuisse Leovitium.*

*Nibileminus ( Tychonis est oratio ) Canones multos atque ephemerides plurimorum annorum solerti dexteritate, magnoque & indefesso labore concinnavit, remque astronomicam hæc in parte, siquis alius, locupletavit. Quin & pleraque ipsius manuscripta opera ad supputationes astronomicas, præsertim primi mobilis tabulas, copiosiores & faciliores reddendas facientia, Augusta in Fuggerorum Bibliotheca, non sine harum artium promovendarum incommodo detinentur. -- Qua omnia ipsemet Cyprianus mihi aliquando, dum Lavgingæ illi præsens adessem, ostendebat, quo jure, quæve injuria judicent alii.*

Sub hæc Tycho narrat, se de rebus astronomicis eo tempore, quo Lavgingæ eum con-

ve-

venisset, familiariter cum *Cypriano* egisse, atque didicisse, illum instrumentis necessariis destitutum, de sideribus non raro pronuntiasse, quin illa diligenti observatione lustrasset; quod apertis verbis improbat *Tycha*, cur? ipse rursus audiatur: *Hæc vero omnia non ob id commemoro, ut viri alias laude, ac memoria dignissimi, qui etiam dudum fatis concessit existimationem, & doctrinam elevare cupiam; eum etenim semper magni feci, ipsiusque ingentes labores in calculo astronomico commendabiles censui. Quin & cum in vivis esset, amicitiam (ut ante memini) non ingratus cum illo contraxi, illique, cum *Larginga* essens, a me in hospitium invitato, usque in multam noctem familiariter, atque hilariter convixi. Ipsius etiam recordationem postea factam testam conservavi. Verum ne *Viri* hujus ob publicata astronomica opera, nominis auctoritate imperitiores allesti, de hac nova stella finistrius, quam deceret, sentirent, ista commonefacere, operæ pretium duxi.*

Sunt vero astronomica opera a *Leovidio* juris publici facta sequentia: anno 1556 cum vidisset tabulas *Peurbachii* *Alphonsinas* scilicet, in eclipsium supputatione semihora sæpe integra a cælo dissentire, illas correxit, & in specimen opus edidit, in quo eclipses exhibuit ab anno 1556 ad ann. 1606.

Anno 1557 *Augustæ Vindelicorum*, cum ætatis secundum & trigessimum annum ageret, ephemerides amplissimas vulgavit pro annis

50, scilicet ab anno 1556 ad 1606. Opus immensi laboris, molis gigantæ. Servatur in *Clementina Bibliotheca*.

Tabulas positionum pro variis acdiversis poli elevationibus ad directiones necessario pertinentes, summa fide, cura & diligentia supputatas. *Augustæ Vindeliconum*, typis Philippi *Vlhardi* anno 1551. Opus ut *Cl. de Chales* inquit, immensi laboris. Exstat in *Bibliotheca Clementina*.

Opus insigne de magnis superiorum planetarum conjunctionibus, solis defectibus, & cometis in quarta Monarchia cum eorundem effectuum historica expositione. His ad calcem accessit prognosticon ab an. D. 1564 usque ad ann. 1584. Liber hic *Maximiliano II.* Bohemæ Regi a *Leovitio* inscriptus prodiit *Londini* anno 1563. *Bibliotheca Clementina* editionem Witebergensem anni 1586 habet.

Anno 1590 prodiit Lipsiæ opusculum astrologicum, in quo traditur facilis modus constituendorum thematum natalitiorum, ad imitationem præstantissimorum astronomorum *Ioannis Stofleri*, & *Cypriani Leovitii*, auctore *Georgio Cunelio* Medicinæ Doctore.

## M. THADDAEVS NEMICVS HAYECIVS,

VEL HAYKO AB HAGEK VEL HAYK.

**H**ayecius Pragensis Bohemus, Matheseos in universitate Pragensi Professor an. 1557. cele-

celeberrimus. Deinde *Maximiliani II. Cæsaris* Medicus natus 1525, obiit 1600, 1 Sept. Pragæ, laudatur in *Almagesto Riccioli S. I.* Scripsit tractatum de Metoposcopia an. 1564, qui liber rursus 1584 prodiit germanico idiomate donatus.

Dialexin de novæ & prius incognitæ stellæ inusitatæ magnitudinis & splendidissimi luminis apparitione, & de ejusdem stellæ vero loco constituendo. Adjuncta est ibidem ratio investigandæ parallaxeos cujuscunque phænomeni, ejusque a centro terræ distantia. *Vienne 1574.*

Rarum hunc librum quia Bibliotheca Clementina servat, mihi que in manus opportune venit, ad commendationem gentis nostræ plurimum facturum putavi, si, quæ ibi ad *Maximilianum Cæsarem Thaddæus* scribit, hic adferrem. Ita habet: *maxime vero nos afficit repetitio eorum studiorum, quibus aliquando juvenes eramus dediti; inter quæ principem locum sibi vendicant Mathematicæ disciplinæ: has enim in aliquot docui scholis, & prope solus, si dicendum est, quod verum est, ante annos plus minus 25 in isto Majestatis Vestræ Archigymnasio (Viennensi) illas conservavi; ac meo quantum locumque studio, & labore juvi, ut deinceps absque interruptione in hanc usque diem fuerint continuatæ. Nam cum essem unicus Auditor Clarissimi Viri D. Andreae Perlabii anno propemodum integro relictus; & alii, qui eum tum temporis una mecum audiebant, vel vita decessissent.*

sent, vel alio studiorum causa commigravissent. Sed & mihi inde alio commigrandum esse Medicinæ causa sciebam. Ne tamen Mathematicum studium penitus conticesceret in ista urbe, ac lycæum redderetur surdum, privatim docui in bursa Agni dicta, & præparabam animos plurium, excitabamque, ut essent idonei ad audiendum Perlacbium, cujus ut dixi, unicus eram Mathematicis relictus Auditor; nec infeliciter cesserat ille meus labor: ut qui me deinceps hinc abeunte, quinque ipsi reliquerim Auditores. Excolui igitur juvenis Mathematicum studia qua poteram diligentia, in graviore etiam ætate ab eis abhorrebam nunquam.

Hanc Dialecticam Hayecius primum quindecim capitibus comprehensam, deinceps aliis septem auctam, Tycho*ni* Brabeo dijudicandam misit. Tycho in opere supra adducto omnia probat, secumque consentire Hayecium vehementer; & bona illius venia quæ tum necdum Parallaxium enucleatio lucem vidit, eam verbis Thaddæi operi suo inferuit. Ad hæc Ratisbonæ primum cum Nostro amicitiam contractam ditutinam se coluisse, posteaque per literas continuasse, sibi que conjunctissimum fuisse significat.

In Majores insuper laudes Hayecii excurrit Tycho libro secundo de Mundi Aetherei recentioribus Phænomenis pag. 320. Inter omnes, Tycho*ni*s sunt verba, qui de nova stella anno 1572 conspecta aliquid in medium protulerunt, facile palmam obtinuit Clarissimus & Eruditissimus



*simus Vir Tbaddæus Hayecius ab Hayk Aula  
Cæsareæ Medicus. Nemo enim de ea diligen-  
tius, & locupletius scripsit, nemo etiam rec-  
tius ( quod tamen citra aliorum offensionem dic-  
tum velim ) & scopo propius, ejus apparentias  
demonstravit.*

Anno 1578 jam Pragæ residenstypis Me-  
lantrichi edidit Descriptionem Cometæ, qui  
apparuit anno 1577. Adjecta est spongia con-  
tra rimosas, & fatuas cucurbitulas *Hannibalis  
Raymundi.*

Hic liber non tanti fiebat a *Tybone*, quan-  
ti superior, siquidem *Hayecius* idoneis instru-  
mentis Pragæ destitutus, minus recte de stella  
( quam describit ) pronuntiavit. Miratur  
etiam *Tycho* ineptiis *Hannibalis Raymundi* sto-  
machum *Hayecio* commotum fuisse, Viro alias  
mitissimo, se enim læsum ostendit, & aculeum  
ipse etiam in aggressorem stringit, ut de se  
dicere possit: & nostro sequitur de vulnere  
*sanguis.*

*Claudius Millet* de *Cbales* e Soc. Iesu in  
tractatu de illustribus Mathematicis, scribit  
anno 1548. *Lovanii in quarto* prodiisse Astro-  
logica opuscula, edita a Nostra *Tbaddæo*. *Pri-  
mo Anonymi. Secundo* librum Regum, seu de  
significatione Planetarum, in duodecim domi-  
bus. *Tertio Hermetis* 100 Aphorismos. *Quar-  
to Pauli Alexandri* rudimenta pro natalitiis  
græce & latine. Item de Sectione Conica  
Orthogona, seu de parabola. Deque specu-  
lo ustorio cum præfatione *Gemmæ Frisii.*

Anno

Anno 1580 Görlicii excusa est epistola Hayecii ad Martinum Mylium, in qua examinatur sententia Michaelis Mœstlini, & Helisei Roeslin de Cometa anni 1577. Huic adjuncta est de investigatione loci novæ stellæ in Zodiaco secundum longitudinem, ex unica ipsius meridiana altitudine, & observationis tempore, Geometrica deductio. Ad Bartholom. Reifacherum.

Sed quæ primo loco poni debebat Oratio tandem nominetur. Oratio inquam de Laudibus Geometriæ scripta & recitata in Academia Pragensi, sub initium Lætionis Euclidæ 12 Februarii die a M. Thaddæo Nemico Haykone ab Hagek. Anno 1557 hanc Orationem ultimam ex operibus Thaddæi hic adducimus eo consilio, ut verbis ex ea petitis iniquos Matheseos Aestimatores pro corone hujus articuli perstringamus: *si quis igitur leviter sentit de Mathematicis disciplinis, aut etiam alios ab his discendis debortatur, adpellans eas ineptias, & vitam hominum carere iis posse existimat, nã is vere ineptus, & Arcadicus astutus est, & nihil differt a Cyclope illo, qui sedens in suo specu, nil nisi suas epulas miratur, nec communi hominum utilitati, ac Societati nasci homines existimat.*

Pluribus de Hayecio agit Volumen tertium Eruditorum Bohemæ & Moraviæ, ad quod Lectorem mitto.

ADAL-

## ADALBERTVS BOHEMVS.

**A**dalbertus Bobemus e Soc. Iesu. An majus quid mea quidem sententia ad laudem gentis nostræ adferri possit, nescio, quam Virum hunc e tenebris antiquitatis in hanc lucem educere. Fuit is sub ipsa Societatis Iesu initia an. 1561 in Collegio Romano *Professor Mathematicæ*, universam tum Societatem regente *Præposito Generali Magistro Iacobo Laynes*. Disciplinæ suæ commissos habuit Iesuitas plurimos, sed inter omnes eminent *Magnum Christophori Clavii* nomen, hic in Mathematicis *Adalbertum Bobemum* nactus est Magistrum. *Bobemo* igitur institutori *Clavium* debet *Respublica Literaria*, & a *Clavio* deinceps eruditos omnes præstantissimos in Mathesi Viros *Aquilonium*, *Gregorium a S. Vincentio*, actandem *Andream Tacquetum*, aliosque innumeros, qui Iesu Societati immortalem apud posteros servabunt memoriam.

Sed ne somnia narrare videar, indicabo, unde in notitiam *Adalberti* venerim: est in Bibliotheca Clementina antiquarum assertionum, in Academiis Viennensi, Pragensi, & Ingolstaediensi propugnatarum liber, in hoc auspiciato reperi *Catalogum eorum, qui de Societate Iesu Romæ versantur sub finem Mensis Maji an. 1561*, hinc *Adalbertum* nosse dedici.

## PETRVS CODICILLVS.

**P**etrus Codicillus a *Tulecbova* Bohemus, Patria *Sedleczanus*, *Academiæ Pragensis* in Phi;

Iosophia Magister, post ibidem Græcæ, Latinæque linguarum Professor publicus, & Mathematicus *Maximiliani II.* ætate unus e paucis. Astronomiam docuit in Vniversitate Carolina annis permultis. Calendariorum libri ab eo editi in tanta erant autoritate, ut inter manus typographi vendentis amitterentur, certatim maximis, & minimis quoquo pretio ementibus. *Senio* confectus, in odium suorum incidit, præcipue Academicorum, quod *Hussi* festam diem in Calendario annotare omisisset; & erat semper in Catholicos *Codicillus* prior, neque *Hussum*, sed *compactata Concilii Basileensis* sequebatur. Mirum! quantis tempestatibus jactatus fuerit ob eam solam causam; coactusque est Catholicorum Procerum auxilium implorare; atque illi in fidem suam *Codicillum* receperunt. Vnde ille vetus in *Codicillum* versiculus,

*Stal se Cz'ecbum protiwny Kus  
wyletiela gim z Prabi Hufs  
prodal gi Mister Codicillus.*

Multa *Codicillus* vulgavit Calendaria plurimorum annorum. Dissertationem de Cometa anni 1577. 26 Septembris, præter alios Argumenti non Mathematici libros. Decessit tandem an. 1589. 4 Calend. Nov. suis de Religione Catholica suspectus. *Ita Balbinus.*

## TYCHO BRAHE.

**T***ycho Brabe*, cum inter Bohemos vixerit, amicitiam cum iisdem, ut in *Leovitio*, & *Hajecio*

*yecio* vidimus coluerit, apud nos diem supremum clausit, hic etiam referri meretur. De illo *Balbini* verbis scribam, ita ille *Epitomes* pag. 610: Anno 1601. 4 Nov. *Tycho Brabeus* e *Danico* genere nobilissimo ortus, Pragæ in domo sua admirabili (quæ etiamnum in hortis Regiis extrat) moritur. Ejus Viri laudationem omittere malo, quam ut *Horatius* dixit, *ingenii culpa deterere*. Legatur ejus vita a Viro *Cl. Petro Gassendo* in Gallia, & Germanica a *Dano* quodam nuper edita. Orationem in funere celeberrimo habuit *Iessenius* Pragensis Academiae Rector. Symbolum erat *Tychoni*, quamvis hæretico, Philosopho *Christiano* dignum: *non videri, sed esse*; quod etiam tumulo jussit inscribi. Fertur Eum ultra centum imperialium millia de suo in Astronomiam expendisse, ut ea taceantur, quæ a *Friderico II. Danica* Rege, & *Cæsare Rudolpho* imprimis acceperat. Mortis suæ causam ipse dedit, cum supervacaneo in hac parte verecundiæ studio, ad *saccatum* corporis *humorem* mittendum, ut *Lucretiane* loquar, e convivio nollet exurgere; inde vis mittendi amissa, & rupta cum vita vesicula. Sepultus est in æde B. Virginis Teynensi ad primam ab ara summa columnam, ubi marmor perelegans & ab *Iacobo Typotio*, nisi fallor, scriptum eruditissimum, & gravissimum, ac *Tychone* dignum Epitaphium spectamus, & legimus, *busque Balbinus*.

Epitaphium hoc ob elegantiam ejus hic apponimus.

C

ESSE

**ESSE POTIVS QVAM HABERI.**  
**ILLVSTRIS, ET GENEROSVS**  
**DOMINVS.**  
**TYCHO BRAHE**  
**DANVS,**

DOMINVS IN KNVDSTROP, ARCIS VRANIBVRGI  
 IN INSVLA HELLESPONTI DANICI HVENNA FVN-  
 DATOR, INSTRVMENTORVM ASTRONOMICORVM,  
 QVALIA NEC ANTE SOL VIDIT INGENIOSIMVS,  
 IDEMQVE LIBERATISSIMVS INVENTOR, ET EX-  
 TRVCTOR. ANTIQVISSIMA NOBILITATE CLARVS,  
 SVA AVCTIOR. ANIMO QVAECVNQVE COELO  
 CONTINENTVR IMMORTALI GLORIA COMPLEXVS,  
 ASTRONOMORVM OMNIS SECVLI LONGE PRIN-  
 CEPS, TOTIVS ORBIS COMMODO, SVMPTRIBVS IM-  
 MENSIS, EXACTISSIMAS INTRA MINVTA, MINV-  
 TORVMQVE PARTEŞ, TRIGINTA AMPLIVS ANNO-  
 RVM OBSERVATIONES MVNDO PRIMVS INTVLIT;  
 AFFIXA SIDERA INTRA MINVTVM EIVSQVE SE-  
 MISSEM RESTITVIT. HIPPARCHI SOLIVS AB OR-  
 BE CONDITO VEL DIIS IMPROBOS, IN OCTAVA  
 DVNTAXAT GRADVS PARTE, CONATVS LONGIS-  
 SIME RFSTAVRAVIT. PRO RELIQVIS ERRATICIS  
 SOLIDISSIMA TABVLARVM RVDOLPHINARVM FVN-  
 DAMENTA IECIT MATHEMATICARVM PERITIS.  
 INVETERATAM ARISTOTELIS, ET ASSECLARVM  
 DOCTRINAM DE SVBLVNARI COMETARVM NOVO-  
 RVMQVE SIDERVM SITV, DEMONSTRATIONIBVS  
 INVICTIS EXEMIT: NOVARVM HYPOTHESIVM  
 AVTHOR, IN STAGIRICIS, ET VNIVERSA PHILO-  
 SOPHIA

SOPHIA ADMIRANDVS; EVOCATVS AB INVICTISSIMO R. IMP. RVD. II. MIRA DOCTRINAE, ET CANDORIS EXEMPLA DEDIT; NE FRVSTRA VIXISSE VIDERETVR, IMMORTALITATEM ETIAM APVD ANTIPODAS SCRIPTORVM PERENNITATE SIBI COMPARAVIT; PLANEQVE QVALIS ESSE QVAM HABERI MALVIT, NUNC VITA FVNCTVS AETERNVM VIVIT. EIVS EXVVIAS, VXORISQVE TRIENNIO POST DEFVNCTAE, HAEREDES LIBERI SACRO HOC LOCO COMPOSVERE. OBIIT QVARTO CALEN. NOVEMB. ANNI CHRISTIANI DIONYSIACI MDCI. ÆTATIS SUE LV.

NON FASCES, NEC OPES, SOLA ARTIS SCEPTRA PERENNANT.

Amorte *Tyconis* apparatus astronomicum Cæsar ab hæredibus pretio 20000 imperialium redemit. Ad Collegium Societ. Jesu *Clementinum Sextans Tyconis*, quo fato nescio, est delatus, qui adhucdum in Musæo, ut vocant Mathematico ejusdem Collegii conspicitur, limbo auro eleganter obducto, lineisque *transversalibus* præclare diviso, tum regula dioptris munita, quas *Cl. Wolffius astronomiæ sphaericæ* §. 108 describit, eaque mobili instructus; manuque *Erasmi Habermil* Pragensis artificis anno 1600 perfectus.

Libri quoque non pauci e Bibliotheca *Tyconis* in *Clementinam* commigrarunt, inter alios rarissimus ille erat, qui *astronomiæ restauratæ mechanica* inscribitur. In eo omnia *Tyconis instrumenta*, quibus ad cælum illustrandum utebatur, delineata, aptisque distincta colori-

loribus, & descripta visebantur. Hunc librum vel unquam lucem vidisse ignorabant Academici Parisini; hinc ne tam nobiles, olim a *Tycho* inventæ Machinæ perirent, ex Msscripto *Danico* desumptas historię suæ non ita pridem inferuerunt. Ego frequentius, dum Iesu Societas manebat, eundem in manibus habui.

Finem impositurus eram huic capiti, cum egregia, & paucis forte nota animum subivit fabula, quam ut hic compendio narrarem, e re mea futurum duxi; in *Prodromo Gloriæ Pragenæ Ioannis Hammerschmid* pag. 414 istius sensus sunt, quæ ex *Paradisi Seraphici* parte 3 Capucinorum ordinis fol. 250 excerpta habentur: *Rudolphum II. Cæsarem* Barbatos Seraphicos Praga pellere voluisse propterea, quod *Tycho Brabe* nocturnis suis cœli observationibus (quas necromantias esse credebant) parum profecisset eo potissimum tempore, quo flagellis de more in se sæviebant Seraphici; futurumque fuisse, ut urbe exesse juberentur, ni subita *Tychonem* mors, illorum bono, de medio sustulisset. *Risum teneatis amici!* Sed pœnam hanc suæ ignorantie dant omnes illi, qui aris admoti nihil ad se pertinere Mathematicas disciplinas putant, & *Scientiam ad mundum* inepte vocant. Dediscerent hunc errorem, si, quod tamen illis magnopere incumbit, D. Hieron. epistolam *ad Magnum Oratorem Romanum* perspectam haberent.

MA.



---



---

# MATHIAS GRYLLOWS

## DE GRYLLOWA.

**M**athias Gryllus de Gryllowa natus 1551 Rakonitii in Bohemia, a patre suo Ioanne latinæ, & græcæ linguarum elementis domi institutus, in Vniuersitate Pragensi Philosophiæ tam felicem navavit operam, ut Baccalaurei honoribus a *Petro Codicillo* anno 1570 ornaretur. Tum biennio in Mathesi penitus cognoscenda posito, *Launam* Ludj Rector futurus se contulit. Anno vero 1576 eodem munere *Taborii* est functus. Ex quo dignus tandem est habitus dignitate Artium Magistri, simulque Philosophiæ Professor, & Collegij Carolini Rector nominatur, in quo munere ad ann. usque 1579 magna cum laude est versatus. Hinc ad exteras universitates sui porro excolendi causa migravit, & biennium integrum *Wittenbergæ* præcipue, atque *Genevæ* extraxit. Redux *Pragam* Decanus Philosophicæ facultatis constituitur. Quia vero uxorem sibi jungere decrevit, & *Carolini* Professore cœlibem esse oportebat, *Zatecium* urbem tum eruditorum amantissimam se contulit, Syndicum apud Amplissimum Magistratum acturus, vitamque tranquille actam ibi cunclussit anno 1611, 2 Septembris. Scripsit bohemicè *tractatum de Cometis, quando, & quibus annis apparuerint*, editum 1578. Plura videantur in *Volum. 3. Eruditorum Bobeniæ & Moraviæ.*

---



---

## IOANNES KEPLER.

**I**oannes Kepler natus est Wjelz in Vürtenber-  
genti agro anno 1571. 7 mensium infans.  
Tubingæ studiis literarum navavit operam.  
Hinc Græcii Matheseos Professor constitutus.  
Demum Pragam se contulit, ut in *Tychoonis* di-  
sciplinam se traderet, cuius etiam patrocinio  
Mathematici Cæsarei nomen obrinuit. Suam  
tamen egestatem ut sustentaret, medicinam,  
quam olim profitebatur, facere est coactus.  
Decessit Ratisbonæ anno 1631.

Illius in universam Mathesim, Astrono-  
miam vero præcipue merita, adeo omnibus  
Matheseos non ignaris, sunt perspecta, ut in-  
juriam tanto viro me afferre putarem, si ea  
laudibus exæquare me posse confiderem.

Vnum istud dicendum: Bohemiæ nostræ  
plurimum ornamenti inde accedere, quod il-  
lum sinu suo annis aliquot sit complexa, typi-  
que Pragenses nonnullos præstantissimi ejus in-  
genii partus in lucem ediderint.

Longum foret scriptorum a *Keplero* li-  
brorum numerum texere; adeat, qui id vo-  
let, *Cl. de Chales tractatum de progressu Ma-  
theseos, & illustribus Mathematicis. Cl. Han-  
schius eos duobus & viginti voluminibus in  
folio comprehensos iterum vulgavit.*

## GEORG. GERL DE GERLSTEIN.

**G**eorgius Gerl de Gerlstein Civis Vetero-Pra-  
gensis, Arithmeticus, & Notarius publ.  
An.

Anno 1591 vulgavit typis, & tribus Urbibus Pragensibus dedicavit *Oenographiam*, complexus brevissime non tam vitium, & vinearum culturam, quam vinorum curam, & condiendi rationem. Item vasorum magnitudinem. Atque ut certo instrumento adhibito (virga pithometrica cubica fuerit) sciamus, quot mensuræ in vase quocunque contineantur; idque tabulis expressit. Sed omnium diligentissime in eo est versatus, ut dato semel pretio sextarii, statim scire liceat, quanti quocunque pinetæ, vel etiam vas integrum obventurum sit, vel contra; quæ omnia scitu dignissima tabularum (quæ plurimæ sunt) prima inspectione cognoscenda perfecit.

In *Præfatione* ait se an. 1577. de mensuris vasorum *Regionis Litomericensis* edidisse tractatum, ibique omnia accuratius, & diligentius elucubrasse. Item coscripsit bohemicè propriis, & elegantissimis vocibus arithmeticam an. 1577, quæ sæpius recusa est. Idem Author longe ante Germanicam arithmeticam edidit, quam *Rudolpho II.* tum adhuc Regi dedicavit. *Ita Balbinus,*

## WENCESLAUS DASYPODIVS.

**W**enceslaus *Dasypodius*, *Dasypum Balbinus* vocat, Nimburchensis Bohemus. Parochus Hrussovanensis, Mathematicus non contemnendus; edidit an. 1591 typis Nigriani Calendarium perpetuum ad *Horizontem Pragensem*

genſem directum, latinum ſimul, & bohemi-  
cum. Vidi illud in *Bibliotheca Clementina*.  
Conſcripſit etiam illuſtrem omnino & gravem  
Theologicam *elegiam* de ultimo iudicio, &  
mundi fine, quem anno 1588 futurum ſomni-  
avit; ridet ſtultam hanc in divinando confi-  
dentiam *Balbinus*; ſed ego cum *Daſypodio* mi-  
tius agendum cenſeo. Scio enim, quod for-  
te *Balbinum* latuit, unde in errorem hunc in-  
ciderit, ut an. 1588 iſtam rerum univerſita-  
tem perituram conjiceret. Nempe ſummi e  
vero, ſed ut illa ætas ferebat, aſtologia non  
parum dediti *Regiomontani* vaticinio deceptus  
eſt; quod *Leovitiuſ* a *Schonero* acceptum, &  
ſequentibus barbaris verſibus comprehenſum,  
ſuis ephemeridibus inſeruit;

*Tauſent fünff bundert achtzig acht,  
Das iſt das Fabr, das ich betracht.  
Gebe in dem die Welt nicht under,  
So geſchicht doch ſunſt großmerklich Wun-  
der.*

## NICOL. RAYMARVS VRSVS.

**N**icolaus Raymarus Vrsus Dithmarſus, S. R.  
C. Maieſtatis Mathematicus auſicus. A-  
cerrimus *Tyconis* hoſtis; cauſſa odii vel ex  
inſcriptione libri *Mauritio Lanagravio Haſſia*  
facta elucet; nempe *Systema mundi* a ſe inven-  
tum *Raymarus* jaſtat, quod *Tyconis* audit,  
hinc eum immanis plagii reum peragit,

Libri autem *Pragæ Bohemorum* apud au-  
thorem *abſque omni privilegio* impreſſi 1597.

Epi-

Epigraphe est: *Nicolai Raymari Vrsi Dithmar-  
si S. R. C. M. Mathematici de astronomicis hy-  
pothesibus, seu systemate mundano. Tractatus a-  
stronomicus & cosmographicus, scitu cum iucun-  
dus, tum utilissimus &c.*

Vt lector intelligat, quo isthic honore af-  
ficiatur *Tycho* maxima *Danorum* gloria, epi-  
gramma ad calcem operis conspicuum recitabo.

*Invidia invidulo rumpantur ut Ilia Dano,  
Sordidius naso cujus in orbe nihil.*

Pluribus de authore commemorandis su-  
perfedeo, quod ea apud *Cl. Iöcherum* cuivis  
obvia sunt. Sed quæ attuli, ex libro nunc  
nominato accepi.

## ALBERTVS CHANOWSKY.

**A**lbertus Chanowsky Bohemus, vetustissimo  
Equitum de *Longa Villa* genere ortus  
anno 1581 *Swiradicii* pago, quem Clarissimi  
Parentes sui ditione tenebant, in *Prachenſi*  
Provincia.

Humaniorum literarum studiis *Crumlowii*  
in *Gymnasio S. I.* absolutis, animum ad Iesu  
societatem amplectendam adjecit. Ad quam  
impetrata, ac prope extorta Parentum volun-  
tate etiam se contulit. Sacerdotio *Græcii* in  
*Styria* initiatus, *Convictum* Clericorum *Pra-*  
*gensem* subinde gubernandum suscepit, simul-  
que in academia *Sacras Paginas*, & hebraicam  
linguam, cujus erat egregie gnarus, explicuit.

*Olomucii* Mathematicas tradidit disci-  
pli-

plinas, ubi cum spectante academia universa vellet nonnulla ratiocinio deprehensa in opus ipsum, usumque deducta in horto Collegii exhibere. Demonstratio hæsisse dicitur, longæque alium, quam præsentibus sibi promiserant, res tota habuisse eventum; tanto non solum risu, sed & indignatione omnium consequente, ut a studio Matheseos plerorumque adolescentum animi redderentur alieni.

Ita nimirum Deus *Albertum* non solum ad ignominias, & quæque adversa devoranda parabat, sed ab humanis etiam disciplinis, aliisque omnibus negotiis, ad sola hominum Christo aggregandorum studia traducebat.

Quare non multo post sacris expeditionibus obeundis admotus, ea sanctitate, eo ardore, tamque felici progressu in munere hoc Apostolico se gessit, ut totam Prachenensem provinciam, cum parte Bechinensis, Plsnensis, & Podbrdensis catholicæ restitueret fidei.

Tandem in Clatoviensi collegio, cujus præcipuus author extitit, ad præmia laborum evocatus decessit anno 1645, 16 Aprilis. Edidit *vestigium Bobemice piæ*, aliosque ad alendam erga Deum, Divosque religionem plurimum facientes libros.

Vitam illius, resque gestas descripsit *Ioannes Tanner* S. I. Pragæ an. 1659.

## GREGOR. A S. VINCENTIO.

**G**regorius a S. Vincentio natione *Belga*, patria

tria Brugenſis, natus an. 1584, vicennis Romæ Societatem Ieſu amplexus eſt. A philoſophia ſtatim *Chriſtophoro Clavio* Matheſeos diſcipulus datus. & aliquot deinde annorum intervallo *P. Aquilonio* eorundem ſtudiorum ſocius.

Matheſin 50 integris annis tam privatim alumnos Societatis, quam publice *in univerſitatibus* docuit, tanta ſui nominis commendatione, ut Archimedes alter paſſim diceretur.

Tandem apoplexia taſtus *Gandavi* plenus dierum, ac bonorum expiravit die 27 Ianuarii anno 1667 poſt celebratum triplex jubilæum, Religionis, Sacerdotii, & traditæ Matheſeos.

*Gregorium* etſi *Belgam* inter Bohemos numeramus; quinque enim annis a *Ferdinando II.* Cæſare expetitus, in academia Pragenſi Mathematica docuit eo ſucceſſu, ut ex ejus diſciplina, narrante *Georgio Weis*, prodirent illuſtres toto orbe Mathematici, etiam per Sinas ſparſi.

Lucubrationes, *Gregorii Svecico Marte* Pragæ læviente, periere plurimæ; quæ lucem aſpexerunt, ſolertix *P. Roderici de Ariaga* e S. I. Hiſpani, ſed inter Bohemos viventis, & *linguæ Cæclicæ peritiſſimi* debentur, cui omnes *Vincentii apices gemmæ* erant.

Sunt autem hæ: opus geometricum quadraturæ circuli, & ſectionum conii decem libris comprehenſum, excuſum Antverpiæ an. 1647 *in folio*. Iſtud ipſum eſt, quod Celeberrimo *Leibnitzio Calculi differentialis* inveniendi occaſionem dedit.

Opus

Opus geometricum posthumum ad *Mesolabium* per rationum proportionalium novas proprietates. *Gandavi* 1668 in folio.

Theoremata Mathematica scientiæ staticæ de ductu ponderum, per planitiem recta, & obliqua horizontem decussantem. *Lovanii* 1624 in 4to.

Vt porro ingenium ejus ætatis, qua maximus hic Geometra floruit, hodiernis Mathematicis exhibeam, *theses Mathematicas* Præside illo *Lovanii* in collegio S. I. propugnatas, quas apud me habeo, hic attingam. Paradoxum I. : non magis peccavit Zeno negans res motas moveri, quam qui res motas negat quiescere. II. Calor in flamma solo motu intendi potest. III. Aerem intrude vasi aqua pleno, non fiet vas levius, cur igitur levitate aerem præditum asseras?

MARCVS BYDCZOVINVS

A

FLORENTINO.

**M**arcus Bydczovinus a Florentino Bohemus, *Bydczovii* urbe regia in provincia Regi-næhradecensi natus, *Moravus* olim dictus Mathematicis disciplinis impensius vacabat. Merito scientiæ suæ *Bacalaureus* an. 1559 in academia Pragenfi nenunciatus, nec multo post a *Maximiliano II.* Cæsare nobilitatis ornatus insignibus, *Magisterii* titulis crevit; continueque ad dignitates academicas Præpositi Collegio Regis *Wenceslai*, Decani, Rectorisque Magnifici ascendit.

In



In his caste semper integreque est versatus: sed omnibus anno 1604 excidit; quod contra Vniuersitatis antiquum morem matrimonium inierit. Obiit tandem Pragæ Novæ Senator an. 1612. 15 Septembris.

Ab illo habemus *Tabulam Meteorologicam Paulo Christiano a Koldina* inscriptam, Pragæque 1582 excusam. Adeat, plura de Viro hoc Clarissimo lecturus, Volumen tertium Eruditorum Boh. & Moraviæ.

## MARTINVS BACHACIVS.

**M**artinus Bachacius, Bohemis *Bacbaczek*, *Naumierzicii* pago, ad tertium a Praga lapidem distans in lucem editus; Lipsiæ Magistri Artium honores, tum Wittenbergæ *Doctoris* Lauream est consecurus. In Patriam rediit Zatecense Gymnasium aliquamdiu rexit; Academix Pragensi subinde cooptatus, istud multiplici doctrina sua, morumque honestate obtinuit, ut Præpositus Collegio Regis *Wenceslai* bis, quater Decanus, & decies Rector Magnificus designaretur. Decessit 1612 annos natus 73. Eidem Academia Carolina monumentum posuit *Mathematico Probatissimo*, quod, & plura alia, in notis ad Bohemiam Doctam *Balbini*, videre licet.

Illius opera prodiit *Libellus Rudimentorum Cosmographicorum Ioannis Houteri* Pragæ 1595, Bohemica nomenclatione expressis *Provinciis*.

WEN-

## WENCESLAUS PANTALEO KIRWITZER.

**W**enceslaus Pantaleo Kirwitzer Cadanensis Bohemus, admissus Brunæ in Societatem Iesu anno 1606, Aetatis suæ 18. Profectus est ad Sinas cum aliis scientiis, tum præcipue Mathematicis bene instructus, itineris socium Clarissimum Virum *Nicolaum Trigaultium* e. S. I. nactus.

Scriptit observationes Cometarum an. 1618 factas in India Orientali a quibusdam Societatis Iesu Mathematicis, in Sinense Regnum navigantibus, ad Ejusdem Societatis Mathematicos Europæos transmissas, editasque Aschaffenburgi an. 1620. *Servantur in Bibliotheca Clementina.*

Item literas de Martyrio P. *Ioannis Baptistæ Macbadi* S. I. qui an. 1617 in Iaponia passus est, Literas Sinicas annis 1620, & 1625 datas. Decessit *Macai* anno 1626.

## SIMEON PARTLICIVS A SPITZBERGA.

**S**imeon Partlicius a *Spitzberga* circa annum 1588 *Trzeftii* in Moravia natus, domi humaniorum literarum rudimentis haustus, *Görlitzium* deinceps contendit, ubi a Gymnasii Rectoribus *Martino Mylio*, & *Caspere Dornavio* insignem Latinæ, & Græcæ linguarum peritiam est consecutus. Pragæ Philo-  
so-

sophiæ curriculo absoluto, Artium Baccalareus an. 1612 creatur.

Hinc Clattoviensis Gymnasii auctoritate Magistratus Academici Rector decernitur. Ibi duobus annis Iuventutem egregie instituit, quod ad Magistri in Artibus dignitatem obtinendam necessarium habebatur; quibus elapsis Pragam redux, Magister nominatur an. 1614 a *Nicolae Troilo* Philosophicæ Facultatis Decano.

Tumultibus intestinis Pragæ excitatis; *Partlicius* Urbem ad seditionem paratam reliquit, *Leonardi Kolonis* de *Fels* Filios literis erudiendos suscipiens. Quo in otio Astronomiæ studio potissimum se addixit, & opportune Schlikii amicitiam sibi conciliavit.

Sed anno 1621 *Ferdinando II.* de Rebelibus Victore, ipse *Protestantium Sectæ* quod esset, & *Felsii*, *Schlikii*que *Cliens* audiret, Bohemiam cum Germania, & subinde Anglia exul commutare est iussus.

Scriptit *Traçtatum Cometographicum de duabus novis stellis* Bohemice, *Reginæhradecii* an. 1619 impressum 8vo,

*Astronomici Apologetici partem priorem, sive dissertationem de influentiis.* Venetiis 1623 in 8vo. Plura invenies Parte tertia Eruditor Boh. & Moraviæ.

## ZACHARIAS THEOBALDVS.

**Z**acharias Theobaldus Bohemus, domo Schlackenwaldensis: ab historia belli *Huffitici*, quam Germanice conscripsit, notissimus.

A Matheseos peritia singulari hic quoque laudandus, dum e Bohemia, communi omnibus *παις μολογοις* Lutheranis fato, anno 1624 exesse juberetur, Norimbergam se recepit, ubi *beneficium Ecclesiasticum* nactus aliquamdiu confedit, inde Aldorfium Matheseos Professor futurus evocatur; at dum itineri se accingit, morte ab oblato honoris aditu prohibetur, quam obiit anno ætatis suæ 43; Aetæ vulgaris 1627. Plura de illo leges volumine primo Etuditorum Bohemiæ & Moraviæ.

### BALTHASAR CONRADVS.

**B**althasar Conradus natione Silesius, Patria Nissensis, Societati Iesu adscriptus anno 1615 ætatis 16. In Vniuersitatibus Pragensi, Olomucensi, & Wratislaviensi, Mathesim præter alia docuit annis quinque supra decem. Italice, Gallice, Polonice, Bohemice, præter Germanicam, & Latinam perfectissime loquebatur. Græcæ vero linguæ tam peritus erat, ut adhuc discipulus Philosophiæ, quæ Magister latine dictabat, ex tempore Græce scriberet. Vir fuit modestissimus, & Deo conjunctissimus. Obiit Glacii, ubi Rector Sociis præerat anno 1660.

Quantum *Conrado* tribuerit *Caspar Schottus* e S. I. ævi sui lumen præcipuum, inde conijcere licet; quod Ejus ad se datam epistolam, quæ consilium *Schotti*, *Cursus Mathematici* edendi, Noster probavit, in fronte ejusdem editi esse voluerit.

Dedit in lucem *Conradus* propositiones Physico-Mathematicas de flamma viridi, atque de ortu & interitu flammæ, Olomucii anno 1639.

Novam tabularum chronographicarum rationem editam ad specimen tabulæ utriusque hemisphærii in cono recto rectangulo, cujus basis est æquator terræ, vertex vero polus. Pragæ 1650.

Propositiones Physico-Mathematicas de natura soni, Olomucii anno 1641. Vel hoc opusculo virum se probat *Conradus* perspicacissimum, qui in medio tenebrarum peripateticarum, de sono ita scripsit, ut hodiernæ in philosophia luci assuetus oculus, acerrimus etiam, non inveniat, quod dedignetur. *Exstant in bibliotheca Clementina.*

Ante obitum anno altero moliebatur opus Mathematicum, & pro studio suæ humilitatis per epistolas expetiit a Mathematicis per Europam celebrioribus operas auxiliares. Titulus autem erat *Teledioptrice*. Sed morte præventus non absolvit, paucis capitibus desideratis. Quid de hoc *Conradi* conatu senserit *Caspar Schottus*, ad finem *Dioptricæ in cursu Mathematico* his verbis liquido ostendit: *Omitto innumera, quæ dedisset vir doctissimus P. Baltbasar Conradus in expectatissimo suo opere dioptrico, jam dudum reipublicæ literariæ promisso, nisi mors immatura eum nuper nobis eripuisset.*

D

ALBER-

---



---

## ALBERTVS KVRTZIVS.

**A**lbertus Kurtzius annum 16 agens an. 1666 Societati Iesu nomen dedit. Illi quidem Monachium Patriam tribuit *Nathanael Sotuellus*, certissimum tamen est, illustrissimam *Kurtziorum* gentem e Bohemia prodisse; atque ideo ipse *P. Albertus* in Bohemiam se referebat, ut ex ejus litteris, ad me (inquit *Balbinus*) datis an. 1667 manifeste patet; in quibus Majores suos sibi nominari petiit, quos ei nisi, fueruntque inter eos *Widerspergii*, *Przichowskii*, Comites *Guttensteinii*, *Sadlones*, de *Kladrubez*, *Berglas*, pluresque alii; itaque mihi suspicio vehemens oboritur, *Albertum* in Bohemia natum esse, aut saltem Bohemis scriptoribus adscribi posse. Obiit vir *fiderum* scientia clarissimus an. 1671 eodem, quo natus est, loco. Edidit præter alia, quæ hujus loci non sunt, novum cæli systema an. 1627.

Problema austriacum *in folio*, *Monachii* 1655.

Historiam cœlestem, seu observationes vicennales ex commentariis manuscriptis *Tychonis Brabe*, an. 1666 *in folio*.

*Amussim Ferdinandeam*, seu problema architecturæ Militaris, *Monachii* 1651 *in fol.*

## MARCUS MARCI.

**M**arcus Marci a *Kronland*, *Landskronæ* in Bohemia natus an. 1595, 13 Junii. *Ferdinandi III. Augusti* ab an. 1657 Medicus, nobilitatem non gehere, sed multiplici doctrina

&

& virtute est consecutus. Novædomi litteris humanioribus excultus, Philosophia & Theologia Olomucii; cum frustra Societatem lectu expeteret, quod oculorum vitio ab ea arcebatur, ad Medicinæ studium se transtulit tam felici successu, ut omnè genus morbi domesticis remediis, pestem terra sigillata felicissime curaret; & in Pragensi universitate Medicinæ Doctor, Professor, Decanus, Regni Physicus renunciaretur.

Præter nativam bohemicam, germanicam, & latinam, exoticas etiam linguas græcam, syriacam, arabicam bene calluit. In Mathesi ejusque omnibus partibus habitavit, Ob quod *Caramueli Lobkowitzio, & Athanasio Kirchero* Soc. Iesu summis ea ætate viris erat charissimus; cum hoc litterarum commercium aluit, indeque didicit, exteris, cum primis Parisiis Merfeno acutissimo Mathematico lucubrations suas probari, novasque porro expectari. Eidem *Kirchero Marci* Physica visa est doctissima, totiesque ab illo revoluta, ut prope memoriter eam teneret. Ostendit alicubi *Marcus*, quis inter Medicam, & Mathematicam esset nexus, quantumque opis Medico in Mathesi esset repositum. *Sed quid ad Medicum circuli quadratura? Quærit ex se ipse, & respondet: quid inquam ego ad sponsam calamistrata coma, & cincinni?* nempe si cuidam hominum conditioni nihil utilitatis adfert Mathesis, ornamenti tamen addit plurimum.

Decessit tandem vir omni scientiarum ge-

D 2

neræ

nere inclytus, & vere seculi sui, & patriæ nostræ insigne decus, Pragæ 1667, 10 Aprilis. Ejus laudes & in se perpetuam benevolentiam amoremque celebravit olim carmine *Balbinus*.

Ante mortem obtinuit id tandem *Marcus*, quod diu multisque precibus quæsierat : scilicet Societati Iesu votis etiam religionis editis adscriptus, vestem instituto illi propriam indutus, & in Jesuitarum sepulchrum est illatus.

Editorum ab eo librorum catalogum videre est in *Bohemia docta Balbini, & parte prima Eruditorum Bohemiæ & Moraviæ*. Ego illos solum recensebo, quos in *bibliotheca Clementina* inter Mathematicos reperi : De proportione motus, seu regula sphingica anno 1639. De proportione motus figurarum re-ctilinearum, & circuli quadratura ex motu. Pragæ 1648.

*Tbaumantiæ* liber de arcu cœlesti, deque colorum apparentium natura, ortu, & causis. Pragæ 1648.

*Labyrinthus*, in quo via ad circuli quadraturam pluribus modis exhibetur an. 1654.

*Otbofopia*, seu philosophia impulsus universalis. Pragæ 1682, opus *posthumum* a *Dobrzenski* editum.

IOANNES CARAMVEL

DE

LOBKOWITZ.

**C**aramuel de Lobkowitz Madritensis Hispanus, natus 24 Maji 1606, sede Bohemica

ca



ca *Lobkowitziorum* familia, & apud nos quoque vixit. Adhuc puer tantum ingenio valuit, ut *theses de sphaera* demonstrare sciret.

Mathesim deinceps praeter innumeras alias disciplinas excoluit, loquuntur id libri in lucem editi, quos in *lexico Iöcheri* consignatos invenies. In *Biblioth. Clement.* habentur:

Sublimium ingeniorum crux jam tandem aliquando deposita a *Ioanne Caramuel Lobkowitz*, gravium lapsus cum tempore elapso componente, concordiamque experimentis, & demonstrationibus geometricis firmante, *Lovanii* 1644.

Mathesis vetus & nova opus in II. tomis in fol. *Campaniae* an. 1670 & 71 excusum.

*Caramuel* Cisterciensium habitum juvenis induit in Hispania. Deinde apud *Ferdinandum III.* Cæsarem gratus, Abbas *Monferratensis Pragæ* designatus, & Cardinalis *Haracii* Archiepiscopi *Generalis Vicarius* electus. Tandem ab *Alexandro VII.* Pontifice M. Romam evocatus, Episcopatum *Vigevani* obtinuit. Obiit an. 1682 istud epitaphium meritis: *Magnus Caramuel Episcopus Vigevani.*

## THEODORVS MORETVS.

**T**heodorus Moretus, *Antverpiensis* *Belga* adlectus in Societatem Iesu an. 1618 ætatis 16. Absoluto studiorum curriculo missus in *Bohemiam* subsidiarius; hic Magister Artium liberalium & philosophiæ, docuit praeter alia Mathesin annis 14. Vir in omni scientiarum  
ge-

genere bene versatus. *Bobusl. Balbinum* S. I. clarissimum illud Bohemix fidus; Mathematicis disciplinis an. 1641 instituit. Sed quod pulcherrimum juxtaque rarissimum apud nos est, quodque plurimi *autochthones* stulte respiciunt, Bohemicam adeo condidicit, ut sacras expeditiones in vicinia Brzeznicensi obire posset. Decessit annis & meritis gravis *Wratislavix* die 6 Nov. 1667. Præstantissimi illius ingenii monumenta texit *Sotuellus*; Mathematica solum recitabo.

Propositiones Mathematicæ de Celeri & tardo, naturæ & armorum. *Pragæ* 1633 in 4to.

Mathematicus tractatus de fontibus Artificialibus. *Pragæ* 1641 in 4to.

De raro & denso, & de tubo optico intra aquam *Vratislavix* 1660.

De imagine visionis, & de admirando speculo conico metallino tricubitali, confecto ab ipso. *Vratislavix* 1661 in 4to.

De ponderum gravitatione, *ib.* 1663 in 4.

De Magnitudine soni, *ibid.* 1664 in 4to.

De æstu maris tractatus. *Antverp.* 1665 in 4to.

De æstu maris propositiones Mathematicæ, *Vratislavix* 1665 in 4to.

De luna paschali, & solis motu. *Vratislavix* 1666 in 4to.

Theses hydrostaticæ de prima sapputatione Archimedis, de innatantibus humido. *Pragæ* 1667 in 4to.

JACO.

## IACOBVS DOBRZENSKY.

**I**acobus Dobrzensky de nigro ponte Pragensis, & Medicinæ Doctor præstantissimus, & felicissimus, *Balbinus* amicus integerrimus; scriptis Mathematicis, Medicisque Italix & Bohemix notus, idemque Marco Marci dum vita manebat charissimus; quem Marcus in Italia hærentem, & jam Parmæ feliciter medentem in Patriam retraxit.

Verebatur *Balbinus Dobrzensky* adhuc viventi laudes scribere, ne plus amori in amicum, quam immortalibus Viri meritis tribuisse videretur, posteris scribendas relinquens: quod cum solertissimi *eruditorum Bobemix & Moravix* Editores copiose jam præstiterint, ego ne actum agerem eas repetendo, istud unum addam.

In Astronomix Tutelarem *Dionysium Areopagitam* singulari fuisse religione Iacobum, eam etiamnum commonstrante eleganti Divi hujus effigie, quæ olim in Soc. Iesu Musæo Mathematico servabatur cum hac epigraphe:

MAGNO ASTRONOMO S. DIONYSIO  
AB AREOPAGO

PERPETVI AMORIS MONUMENTVM  
PONEBAT IACOBVS DOBRZENSKY  
DE NIGRO PONTE. 1653.

Illius redivivam *Heronis* novam & amoeniorem de fontibus Philosophiam, Illustrissimo, & Excellentissimo Domino Innocentio de  
Com-

Comitibus dicatam *Ferraia* 1657, Magno  
 Doctorum omnium plausu exceptam fuisse,  
 Author est *Balbinus*.

GODEFRIDVS ALOYSIVS KINNER  
 DE  
 LOEWENTHVRN.

**G**odefridus Kinner Silesius Reichembachen-  
 sis AA. LL. Philosophiæ, Iuris utrius-  
 que, & Theologiæ Doctor, in Mathesi tantum  
 se præstitit, ut ad eandem Serenissimo & Reve-  
 rendissimo Principi *Carolo Iosepho* Arciduci  
 Austriæ, Leopoldi Cæsaris Fratri, Teutonici  
 Ordinis Magno Magistro tradendam assume-  
 retur.

Et assecutus est immortalitate dignus hic  
 Princeps summam Mathematicum peritiam,  
 quod & ingenio nobilissimo, atque ideo ad  
 has scientias accommodatissimo, & Magistro  
 numeris omnibus absoluto esset instructus.

*Kinnerus*, quo Serenissimi Alumni sui  
 seu delectaret magis, seu iuaret diligentiam,  
 ab *Atb nasio Kirchero* Soc. Iesu, Familiari  
 suo impetravit *Organum Mathematicum*, id  
 est cistulam affabre ad organi pneumatici mo-  
 dum elaboratam, ac variis tabellis refertam,  
 quibus modo facillimo, ac velut aliud agendo,  
 plerasque Mathematicas disciplinas, per vari-  
 as illarum combinationes, mutuasque appli-  
 cationes, vel primum addiceret, vel quas  
 didicerat, firmiter menti infigeret.

*Organum* hoc novem libris insigni vo-  
 lumi-

lumine explicat *Caspar Sebottus* Soc. Iesu. Octavus liber est *Steganographicus*, ubi agitur de *Steganographia* Græcorum, nova, brevi, facili, ac ingeniosissima, cujus Author est *Kinnerus* noster.

Edidit etiam typis Pragensibus an. 1653 eruditum libellum de *secunda Quadratura Circuli* a R. P. Gregorio a S. Vincentio inventa; quem subscripti initio opusculi Clarissimi Viri *Caramuel Abbas* Monferratensis, *Ioannes Marcus Marci* Facultatis Medicæ Decanus, *Theodorus Moretus* S. T. D. Matheos emeritus Professor, & Clatoviensis Soc. Iesu Collegii Rector, *Iosephus del Medico* Medicinæ Doctor laudarunt.

## BENIAMIN SSLAYER.

**B**eniamin Ssayer e Societate Iesu Pragensis, in Mathesi præcipue practica exercitissimus, docuitque hanc scientiam multis annis in Academia Pragensi, uti etiam linguam sacram, quam perfecte callebat. Edere parabat non nulla, quæ mors invidit. Mihi tamen, ait de se *Balbinus*, petenti accuratam descriptionem Horologii artificiosi in Pragensi Curia, cui in hoc genere nullum in Europa opus par Fornerus S. I. inveniri existimat, reliquit. Qui tractatus typis a me editus est, legiturque in lib. tertio *Miscellaneorum Historicorum*. Extat quoque in *Legato Vranico* Patris *Stansel*: Observatio Cometæ an. 1664 a P. Ssayer Matheos Professore Pragæ facta.

Obiit

Obiit Clattoviz Rector Collegii anno 1670.  
21 Ianuarii.

## GEORGIUS BEHM.

**G**eorgius Behm Litomericensis Bohemus, in Societatem Iesu cooptatus anno 1636, ætatis 15. Vir oppido ingeniosus, & religiosus. Humaniora docuit quadriennio, triennio Philosophiam, Mathesim in qua excelluit, novennio, Theologiam Moralem quinquennio. Morti proximus, faventibus Moderatoribus, suorum erratorum veniam, literis ad omnia Collegia missis, periit. Decessit Znoymæ anno 1666. 7 Novembris lenta tabe extinctus. Vbi Cometam duobus ante mortem annis observavit, & impensis Celsissimi Principis *Ferdinandi a Lichtenstein* Ducis Teschinensis, una cum tabula Astronomica typis *Observationem* commisit. Edidit præterea:

Propositiones Mathematico-Musurgicas, valde laudatas. Pragæ anno 1650. extant in *Bibliotheca Clementina*.

Item Physico-Mathematicas de objecto potentia visiva, anno 1657.

Propositiones scientiæ Staticæ, an. 1659.

Propositiones Geometricas de Quadratura Circuli, anno 1660.

Item eodem anno Arithmeticæ Practicæ tractatum nobilem.

VALEN.

## VALENTINVS STANSEL.

**V**alentinus Stansel, Lusitanis Estansel, Moravus Olomucensis, Societati Iesu adscriptus anno 1637, ætatis sexto, & decimo. Apud nos multa, sed præcipue Mathesim, Pragæ, & Olomucii docuit, hic edidit Propositiones Selenographicas, sive de Luna, an. 1655. *Alexandro de Pisauro, Canonorum Regularium Sternbergæ Præsuli, dedicatas.*

Tandem postulata, & impetrata *Missione Indica*, in Lusitaniam profectus est, ubi etiam Mathematicas disciplinas annis aliquot explicuit. Inde impedito itinere Indico Brasiliam petiit, ubi Theologiam Moralem aliquamdiu explanavit, deinceps Barbaris Christo lucrandis intentus. Scipsit, & in lucem edidit lingua Lusitanica:

Orbem Alphonsum, sive Horoscopium Vniversale, in quo per extremitatem umbræ inversæ cognoscitur, quæ hora sit in quovis Mundi loco &c. *Ebora 1658.*

Mercurium Brasiliicum, sive Cæli & Soli Brasiliensis œconomiam.

Phœnomena Cælestia, seu dissertationem Astronomicam de tribus Cometis; qui proximis annis in Cælo apparuerunt anno 1668.

Extat insuper in *Bibliotheca Clementina* liber in *quarto majore* sat amplus ejusdem Authoris, ita inscriptus:

Vranophilus Cælestis peregrinus, sive mentis Vranicæ per mundum sidereum peregrin;

grinantis extases. Authore *Valentino Estancel*, de Castro Iulii Moravo e Soc. Iesu, olim in Vniversitate Pragensi, deinde in Regia Olyssiponensi Matheseos Magistro, demum Theologiz Moralis in Vrbe S. Salvatoris vulgò *Bachia* Omnium Sanctorum in Brasilia Professore. *Gandavi anno 1685. prostant Antverpia.*

Item : Legatus Vranicus sive Cometa, qui anno 1664 in Asterismo Coryi Mundo illuxit, observatus in Brasilia *Bachia* Omnium Sanctorum, impressus Pragæ 1683.

### IOANNES CZIMERMANN.

**I**oannes Czimermann Pragensis, natus anno lapsi seculi 32, ad Societatem Iesu se applicuit 1649. Docuit in ea mansuetiores literas, linguam sacram, Mathesim, & pluribus annis concionatorem egit. Edidit :

Discursum Astronomicum de loco, magnitudine, & materia novi Cometæ. *Olonucii anno 1661.*

Ibidem : Solem siderum Principem propositionibus Astronomicis illustratum. *Eodem anno.*

Geometricam de variis Altimetriæ instrumentis Anacrisin, anno 1662:

### CHRISTOPHORVS LVX.

**C**hristophorus Lux Societatis Iesu, cum necdum Sacerdotio initiatus esset, quid in Astronomia jam tum posset, satis ostendit obfer-



servatione Cometæ instituta, & descripta, quæ a 20 Decembris anni 1680, usque ad 21 Februarii anni 1681, sub horam sextam, & septimam vespertinam conspiciebatur, extat in *Legato Vranico Patris Stanfel.*

## VITVS SCHEFFER.

**V**itus Scheffer e Societate Iesu Austriacus, in *Provincia Bobemiæ* educatus, de quo adhuc vivente ita *Balbinus*: Multa propter Viri ingenium, aliasque raras dotes ab Eo sperantur, humaniora cum laude in Academia Olomucensi docuit, Mathematicus excellens, & multarum linguarum bene peritus. Scripsit & typis edidit cum Philosophiam doceret:

Coelum Poëticum cum figuris Sphæræ anno 1686 *Pragæ.*

Illius sunt *Biblia Immaculata* multis tomis comprehensa, quod hic *ὡς ἐν παροῶ* dictum sit.

## IOANNES HANCKE.

**I**oannes Hancke e Societate Iesu, in Vniversitatibus Pragensi, & Olomucensi Mathematicum Professor. Extant Theses Mathematicæ in *Clementina Bibliotheca* anno 1676. Illo Præside publice defensæ, plenæ eruditionis, & more illius ætatis *paradoxis* distinctæ: talia sunt in Arithmetica: *plus valet Arithmeticus scribere, quam legere. Numerus aurorum potest imminui nulla ejus parte sublata*  
*Et c.*

ſc. In Geometria: *punctum Mathematicum* est cujus pars nulla, suam tamen habet longitudinem & latitudinem. Ejusdem sensus fuit Thomas Hobbes Malmesburiensis, in *Examinatione & emendatione Mathematicæ Wallisianæ*, Dialogo 2do dicens: punctum esse corpus, cujus non consideratur ulla quantitas. Sunt etiam propositiones ibidem ex Geometria, Astronomia, Gnomonica, Optica non inelegantes, quibus ornamenti instar *paradoxa* ejusdem, quod indicavimus, generis sunt adnexa.

Edidit Vir hic Clarissimus, cum Wratislaviz Decanum Philosophici Ordinis ageret anno 1685. *Exercitationem Catoptricam de Idolo speculi.*

*Biennio* ante Olomucii prodiit Eo Authore: Horologium nocturnum Magneticum ad elevationem *Poli Olomucensem*, Pragensem, & Wratislaviensem.

Eodem anno lucem aspexit ibidem; Prædictio Astronomica Solaris deliquii ad annum 1684. 12 Julii. *Stylo novo.*

Anno 1682 Moguntiz editus est liber P. Joannes Hancke in Vniversitate Olomucensi Controversiarum Fidei, & Matheos Professoris, inscriptus: *Tenebræ summatim illustratæ, sive Doctrina Eclipsium.*

## MATTHÆVS COPPYLIUS.

**M**atthæus Coppylius e Societate Iesu *Provinciæ Bobemiæ*, in Cæsareo Wratislaviensi

viensi Collegio Ordinarius & Publicus Mathematicum Professor. Edidit Wratislaviæ an. 1676. *Archimedem Mechanicum*, in quo libro Archimedis sextam, & septimam propositionem libri primi æquiponderantium a Neotericorum quorundam objectionibus liberat, ejusque doctrinam ab erroris suspitione purgatam, *Machinis Fundamentalibus* applicat.

SIGISMVNDTS FERDINANDVS  
HARTMANN.

**S**igismundus Ferdinandus Hartmann Bohemus e Societate Iesu; Philosophiæ & Matheseos in Vniuersitate Pragensi Professor, ob singularem Geometricarum veritatum notitiam, Bohemiæ *Euclides* dictus, anno 1668. Edidit *Catopricam illustratam* propositionibus Physico-Mathematicis, de speculorum essentia, & proprietatibus. Item de *minimis* & *maximis* speculis. Cum anno 1679 Prægæ SS. Paginarum interpretem ageret, studium Matheseos non dimisit; proposuit enim exercitationis gratia *Problema omnibus Geometris de duplicando triangulo Isogono*, idque per *solum librum primum Euclidis*, vel etiam si *neceffe esset, per reliquos tres primos*. Consilii sui rationem eadem, qua problema significabatur, exposuit Scheda; & continuo *Resolutiones* a variis Mathematicis ad *Hartmannum* variæ rediere, ipse ego nonnullas inter antiqua manuscripta seruo: *Davidis Scheffer* unam, alteram R. P. Augustini Tho-

ma

ma a S. Iosepho Piarum Scholarum, *Slava* ad proponentem anno 1680. 27 Ianuarii missam, estque Viri memoria dignissimi Autographum. Tertiam Patris *Adami Kocbansky* S. I. in Academiis Moguntina, Bambergenfi, Florentina, Olomucensi, Wratislaviensi, quondam Professoris publici, Excellentissimo *Christophoro Leopoldo Comiti a Schaffgotsche* dicatam. Habetur etiam in *Clementina Bihotbeca*. Resolutio hujus Problematis Romæ anno 1681. Typis data a *Canonico Paulo Iovio Seminarium Romani Convictore*.

In Legato Vranico *Valentini Stanfel* extat Patris Sigismundi in Vniversitate Olomucensi Professoris Philosophiæ & Matheseos, observatio Cometæ anno 1664. Plura *Manuscripta* illius volumina vidit olim in Collegio *Clementino*.

## AVGVSTINVS THOMAS

### A S. IOSEPHO.

**A**ugustinus Thomas a S. Iosepho, Clericus Regularis e Scholis Piis, natus Auspicii in Moravia anno 1646. Mathematicum cognitionem nulli Institutori debuit, tam felix solersque nactus ingenium, ut ea per se ipse arriperet, atque deinceps non mediocriter promoveret. *Problematis Hartmanniani solutio* modo laudata fecit, ut Illustrissimus Comes Herbersteinus ea vita Augustinum miraretur, & amaret; hinc frequentes illæ argu-  
menti

menti Mathematici natæ literæ, ultro citro-  
que commeantes, quarum egregiam *Syllogen*  
Thomæ Authoris ad *Herbersteinium* Pragen-  
sibus typis vulgavit an. 1713. *Michael Franck*  
*de Franckenstein*. Undecimam tamen episto-  
lam, & quadragesimam primam si Editor sup-  
pressisset, Clarissimi Authoris famæ consulus-  
isset: in illa enim cum Belgas super Astra ex-  
tollit, Bohemorum famam elevat; in ista dif-  
ficultia hæc sibi accidere queritur: cur  $\sqrt{ax}$   
 $= x^{\frac{1}{2}} x^{\frac{1}{2}}$ ?  $x^{\frac{1}{2}} \cdot x = x^{\frac{3}{2}}$ ? cur etiam  $x^{\frac{1}{2}} \cdot$   
 $x^{\frac{1}{2}} \cdot x : \frac{2}{3} = \frac{1}{2} a^{\frac{1}{2}} x^{\frac{1}{2}} = \frac{3}{2} a^{\frac{1}{2}} x^{\frac{3}{2}}$  &c. Quæ  
Tyronibus meis Familiaria sunt.

Profundam Viri doctrinam suspexit etiam  
*Carolus S. R. I. Princeps Lichtenstein* Episco-  
pus Olomucensis, eumque favore singulari  
prosecutus est. Ipse adeo *Carolus VI. Au-*  
*gustus*, *Horna* Viennam evocatum, perinde  
ut *Carolus V. Cæsar* suum *Turrianum* habuit.  
Sed neque inferiore loco numeranda est *Gui-*  
*lielmi Leibnitzii*, *Maximi Germaniæ Luminis*,  
in Thomam propensio, quem per literas sæ-  
pe conveniebat; responsaque sibi data *Actis*  
*Lipsiënsibus* inferebat. Plura qui volet, adeat  
*Partem secundam Eruditorum Moravia & Bo-*  
*hemia*

Ex operibus Illius in lucem emissis mihi  
videre, præter *Syllogen*, contigit: *Metambr-*  
*phosim Geometricam*, proportionum vincu-  
lis expeditam, quæ Typis *Wildbergensibus*  
*Austriæ inferioris*, prodit anno 1690.

E

Pro-

Problema posthumum a Cl. Viro *Leibnitio* anno 1716, paulo ante mortem suam commissum solutioni R. P. *Augustini Thomæ* a *S. Iosepho*. Est vero æquatione sequenti comprehensum:  $bx + 1 = y^2$  in qua  $b$  est numerus datus quiscunque possibilis integer,  $x$  &  $y$  quaesiti hac lege, ut  $y$  semper maneat minor, quam  $b$ . Petitur ejus solutio in integris toties, quoties fieri potest.

## FERDINANDVS ERNESTVS

SAC. ROM. IMP.

COMES AB HERBERSTEIN.

**F**erdinandus Ernestus S. R. I. Comes ab *Herberstein*, natione Belga, humanioribus & severioribus disciplinis Lovanii institutus, Prægæ Bohemæ Metropoli deinceps confedit *Regii Appellationum Tribunalis Præses*. Omnium scientiarum, linguæ etiam Sacræ peritissimus, *Mathesim* tamen plurimum amabat, antiqua imitatus tempora, quibus Principum, Regumque oblectatio in *Mathesi* reponebatur & merito quidem; neque enim ab humiliore loco natis pro dignitate sua coli potest, quæ in multiplicem apparatus immodicis sumptibus opus habet.

Quidquid igitur otii nactus est, totum *Mathematica* legendo, scribendoque contrivisse testes solertiae hujus sunt libri ab Eo posteritati relicti, in quibus argumenta & recondita quoque *Mathesi* perita feliciter pertractat.

Sed

Sed quis etiamnum in ea opinione erit, in qua olim R. P. *Augustinus Thomas a S. Iosepho* erat: *Epistol. 11. Sylloges: Herbersteinium* propterea in adyta ipsa *Geometriæ & Analyticæ* penetrasse, quia *Belga fuit, cui Nationi nulla scientia, nulla difficultas sit impervia*. Sane illa ætate genti *Bohemæ penetralia hæc præclusa non fuisse*, & jam ostendimus, & continuo *Iacobum Kreza* laudaturi demonstrabimus.

Pragæ non Belgio penitiorum *Analyseos finitorum*, & primam *infinitorum* cognitionem in acceptis referendam habuit Comes *Ferdinandus*; hinc enim contracta cum summis *Viris Leibnitio, & Wolffio*, qui *Matheseos Elementa Germanica* eidem inscripsit, amicitia, ex eorum literis discerebat, ad quem apicem *Matheseos* studium ascenderet, & quo sibi esset eritendum.

Illius opera typis Pragensibus excusa sunt:

*Diatome Circulorum* anno 1710, laudatur in *Actis Eruditorum Lipsiensibus*.

*Cyclodiatomia*, qua pro rei tormentariæ incremento motum, ac tempus projectorum mensurat, & demonstrat *Ferd. Ernest. Comes ab Herberstein* 1716.

*Perpendicularum Trigoni Pythagorice sectum* 1712.

Eodem anno: *Sincerum examen quadraturæ Circuli a Remigio Baudemont, Rbemis in Gallia vulgatæ*.

*Diagnosis Maximorum, & Minimorum*

1717.

E 2.

Ero-

Erotema, an studium Geometriæ Republicam administranti obstaculo sit, an ad-  
miniculo? 1712.

## IACOBVS KREZA.

**I**acobus Kreza e Societate Iesu, Smrzovii in Moravia natus anno 1648. Mathematicas disciplinas in Vniversitate Pragensi tribus annis docuit; cum Olomucii easdem traderet, insignem efformavit Discipulum *Ioannem Tattetium*, qui *Gemmula Mathematica* inscripto sic libello, Brigæque edito inclaruit, eoque Lunæ deliquium ad annum 1685. 10 Decembris supputatum dedit. ●

E Bohemia ad Hispanos Madritum missus, ibi in *Collegio Imperiali, Carolo II.* regnante, Matheleos Professore annis decem & quinque egit, Hesperia Euclides dictus; ea per omnem vastissimam Provinciam nominis sui commendatione, quæ vel hoc indicio fiat manifesta: cum enim anno 1697. D. *Antonius Huye* de Omerique Gadibus *Analysim Geometricam* typis vulgare meditaretur, illam *Krezae* dijudicandam misit, Eiusque limatissimum iudicium operi deinceps impresso præfixit.

Effervescente subinde in Bellicos tumultus Europa, Madrito *Carolus III.* Hispaniarum Regem secutus est, quo tempore, anno nempe 1688. *Bruxellis* librum Hispanice excudi fecit, cuius hæc est inscriptio: *Elementa Geometrica Euclidis. Sex primi libri de*  
Pla-



*Planis, undecimus & duodecimus de Solidis, cum selectis Archimedis Proposiuionibus explicati a Iacobo Kreza Soc. Iesu Professore Mathe- seos in Collegio Imperiali Madriti, & interim apud Exercitum Regium Gadibus existente.*

Superiore vero anno *Theses Mathematicas* iterum Hispanice scriptas luci commisit, defensas Gadibus in Collegio Societatis Iesu; iustæ molis est liber. Propositiones continet de *Aritbmctica speculativa, de Fractionibus, Logarithmns, Trigonometria rectilinea, & Sphæ- rica, Astronomia, Algebra, Architectura Mi- litari.*

Demum *Carolo III.* ad Romani Imperii coronam capessendam in Germaniam prope- rante, & ipse Bohemiæ suæ est restitutus. Hic reliquum vitæ tempus, qua lucubrationibus Ma- thematicis, qua rebus studio huic opportunis colligendis impendit. Primum testatur opus posthumum anno 1720 Pragæ literis Clemen- tinis impressum: *Analysis speciosa Trigonome- triæ Sphæricæ, primo mobili, Triangulis Rec- tilineis, progressioni Aritbmcticæ, & Geome- tricæ, aliisque problematis applicata;* in hoc egregio volumine primus quod sciam, *Kreza* *Algebram ad Sphæricorum Triangulorum re- solutionem* accommodavit. Alterum, hoc est, singularem in comparando apparatu Mathe- matico solertiam, ostendit iilius imago in *Mu- sæo Mathematico Clementini Collegii*, quod lo- cupletat, suspensa: rarum apud Iesuitas decus, neque aliis, quam Clarissimis virtute & scien-

scientia Viris præstitum. Obiit tandem Vir immortalis memoria dignissimus Brunæ anno ætatis suæ 67.

### CHRISTOPHORVS HEINRICH.

**C**hristophorus Heinrich e Societate Iesu Provincia Bobemiæ, natus circa annum 1666,

Cum in Vniuersitate Wratislaviensi Theologiz Moralis, & Matheseos Professorem ageret, edidit an. 1708. *Altitudinem Poli, sive latitudinem Geographicam Wratislaviæ, annis 1705, 6, 7, & 8 observatam*, item *Geographiam curiosam & utilem Nissæ anno 1710.*

Quanti nominis Vir hic fuerit, exemplo Clarissimi *Christiani Wolffii* discere potes; tantum enim Christophoro tribuit, ut Ejus literas ad se an. 1712. datas dignas putaret, quas parte altera *Astronomiæ suæ* §. 978. infereret, in his peculiare ab *Heinricbio* inventum *Micrometri* genus, & ad observandos digitos lunæ obscuratæ felicissime translationum describitur.

### CASPAR FLIEGER.

**C**aspar Flieger e Soc. Iesu. Bobemiæ Provincia in Mathesi, præcipue *Practica* nulli secundus. An. 1710 Pragæ Philosophicæ Facultatis Decanus, *Musæi Mathematici* per plures annos Curator in Clementino Collegio solertissimus: in hoc immortalem sui reliquit memoriam, ob duo a se perfecta *Specula Parabolica*, ex cupro auro inducta formata, hodie dum spectatores Nobilissimos in admirationem

nem rapientia: nam si unius in *foco* carbo ignitus collocetur, continuo materies incensio-  
ni apta. *focumque* alterius insigniter ex adver-  
so remoti occupans, flammam concipit.

Rarissima hæc per Europam, & forte so-  
la. Specula, laudantur in *Historia Academiae scien-  
tiarum Parisinæ*, & a Clarissimo *Steplingo* in  
*Miscellaneis Philosophicis* anno 1759 editis de-  
scribuntur:

Diameter majoris est 2 pedum & 5 digi-  
torum mensuræ Pragensis, minoris seu radios  
reflexos colligentis, duorum pedum  $3\frac{1}{2}$  digiti.  
Focorum distantia a speculis est 9 digitorum.  
Distantia vero Focorum inter se  $28\frac{1}{2}$  pedis erat  
Societate Iesu manente, nunc in angustiorem  
locum speculis translatis contractior est. Iis-  
dem Cl. *Steplingus experimentum* intituit de  
reflexione caloris absque luce, & summo Viro  
*Nolletto* Parisiis perscripsit. Decessit *Flieger-  
us* Pragæ Veteris 1730 13 Septembris.

## WENCESLAVS IOSEPHVS PELICANVS.

**P**elicanum laudat Cl. *Steplingus Miscellaneo-  
rum Philosophicorum* pag. 10, ubi de prin-  
cipiis generalibus inveniendi Arithmeticas  
quasvis ad notam nostræ vulgaris agit,

Narrans enim diversos numerandi mo-  
dos seu ab Authorum ingeniis proculos, seu  
usu gentium receptos. *Dyadicæ Leibnitzianæ*  
solis notis numericis, 1, & 0 constantis, etiam  
meminit. De qua neminem fusius scripsisse  
per-

persuasum habet, quam nostrum *Pelicanum* in libello singulari, inscripto Perillustri Equiti D. *Ioanni Carolo Zitschy* de *Znoriza* Pragæ 1712. Typis dato, in quo Algorithmum integrorum, & fractorum, nec non Regulas trium directam, & inversam, compositam, societatis, Aligationis, & falsi exponit.

### CAROLVS WOREL.

**C**arolus Worel e Societate Iesu, in Vniversitate Olomucensi Matheseos Professor, edidit Olomucii an. 1715. *Duplex manualis Mathematici vestigium*, continens varia ex Arithmetica, & Geographia ad usum quotidianum, & facilem documenta.

### ADAM FVCHS.

**A**dam Fridericus Fuchs, edidit Pragæ anno 1710 Germanica lingua conscriptum opus Arithmeticum, cuius epigraphæ est:  
*Egerisches Fundamental-Instruction Rechenbuch.*

### IOANNES VITVS MÜLLER.

**I**oannes Vitus Müller edidit germanice an. 1722. Pragæ suis sumptibus volumen in folio, ita inscriptum:

*Große Aufrechnungs-Tafeln gestellt:*  
1mo. *Auf das Interesse.* 2do. *Auf das Pfennig-Gewicht.* 3tio. *Karat-Gewicht,* und  
4to *Centner-Gewicht,*

Opus Publicanis utilissimum.

AN.

## ANTON. GEORG. KINNOST.

**A**ntonius Georgius Kinnost typis Olomucensibus vulgavit anno 1727. Libellum Arithmeticum, quem germanice scripsit.

## WENCESLAVS IOSEPHVS WESSELY.

**I**osephus Wessely juratus Regni Molitor, & Geometra. In usum Molitorum Bohemorum, qui apud nos Matheseos non imperiti esse solent, & Machinarum scientia cum primis excellunt, Pragæ anno 1734 librum satis vastum Bohemice excudi fecit, cujus inscriptio Latine reddita hæc est: *Fundamentalia Elementa Mathematicæ scientiæ: Geometria Practica, Trigonometria Plana, Stereometria. Usus Tabularum sinuum, & Logarithmorum, quibus altitudines, profunditates, longitudines, latitudines, agri, sylvæ, piscinæ, prata, borti, Urbes, Provinciæ, & corpora mensurantur. Addita est Ars libellandi, novis quibusdam Problematis aucta.*

## FABIANVS SWOBODA

**F**abianus Swoboda Agrimensor Bohemus. Publici juris factum ab eo librum inter meos numero, inscriptum: *Neu gründlich Eröffneter Hand-griff von der Feld-Messerey.* Typis Novodomensibus anno 1732.

IOAN.

---



---

## IOANNES CASPAR HOYER.

**I**oannes Caspar Hoyer Arithmeticus, edidit Pragæ anno 1737 libellum inscriptum: *Kurze aber wohl eingerichtete Interesse - Schul.*

Mysteria omnia hoc opere comprehensa exposui, & demonstravi proxime anno elapso illis pagellis, quibus argumentum palam tentandorum ex Algebra Auditorum meorum exhibebatur.

## BERNARDVS GRUBER:

**B**ernardus Gruber S. Ordinis Cisterciensis in Monasterio B. V. Mariz de Alto vado Professus, in Collegio Archi-Episcopali Pragæ AA. LL. & Philosophiæ Professor. Typis Pragensibus vulgavit an. 1718: *Horographiam Trigonometricam, seu Methodum accuratissimam Arithmetice per Sinus, & tangentes Horologia quævis solaris in plano stabili, qualitercunque sito, etiam declinante, & simul inclinato facili negotio describendi, & quædam alia, quæ vialia dicuntur &c. Cum suis fundamentis, & rationibus in gratiam aliorum exhibita.* Liber a Censore P. Georgio Thoma e Soc. Iesu, in Vniuersitate Carolo-Ferdinanda Matheseos Professore, laudem immodicam est meritus.

## IOANNES CLAUDINVS.

**I**oannes Claudinus e Soc. Iesu Provinciae Bohemicae, annis aliquot in Olomucensi Vniuersitate Professor Matheseos acutissimus, *Christiano*

*stiano Woffio*, Celeberrimo Germaniæ Philo-  
sopho, literarum commercio notus. Abdi-  
cato demum docendi munere, Dtesdæ Sere-  
nissimo Saxonæ Electori *ab obsequiis Spiritu-*  
*alibus* fuit. Inde etiam revocatus, itinere per  
Svecciam suscepto ad Provinciam suam redi-  
it. Post tradita Nissæ Morali Theologia Gla-  
cium est missus, ubi Cl. *Steplingo* tum Huma-  
niores Literas *repetente* familiariter est usus,  
& an. 1745. 10 Ianuarii naturæ cessit.

### GEORGIUS THOMAS.

**G***orgius Thomas* e Soc. Iesu Bohemus, in  
Vniversitate Pragensi Professor Mathe-  
seos, & Philosophicæ Facultatis Décanus per  
complures annos. Habeo in manibus Viri hu-  
jus solertissimi duplicem Tractatum manuscrip-  
tum anno 1721: unum de *Geometria*, de *Hy-*  
*drostatica* alterum. Sed locum inter Illustres  
vel uno hoc titulo mereretur, quod maximis  
Eum laudibus Cl. *Steplingus* celebret, Virum  
nempe ejusmodi qui non mediocrem Mathe-  
matum cognitionem usumque sibi compara-  
verit, & *Steplingi* adhuc Adolescentuli con-  
tus Mathematicos probarit, & promoverit.

### IOANNES KLEIN.

**I***oannes Klein* e Soc. Iesu, Bohemus Kamni-  
censis, Mutæi Mathematici Pragæ annis 30  
Præses, ac operum in eo præcipuorum, qua  
inventor, qua effector. Ingressus Mundum  
an. 1684. 25 Iulii, Societatem 1703, 9 Octobris,  
Aeter-

Aeternitatem 1762. 15 Ianuarii Pragæ, ætatis 78. Ita habet inscriptio Effigiei *Kleinium* referentis, in Musæo Mathematico Collegii Clementini suspensæ.

Automata ab Illo effecta præter Musica, hæc sunt præcipua: Horologium Planetarium, Systema *Tyconicum*, & aliud *Copernicanum* exhibens; illud cum anno 1751. Magistrorum Philosophiæ inauguratio haberetur, in Aula Carolina conspectui Academici Senatus, & Populi se stitit, cujus descriptio cum duplici imagine æri incisa, faciem utramque horologii imitante in publicum prodiit, descriptionis utriusque Planetarii automatis Author est Cl. *Stephngus*.

Duo Horologia Geographica, & quidem alterum in Musæo modo laudato servatur, alterum Serenissimo Poloniarum Regi *Augusto II.* Dresdam ab ipso *Kleinio* est delatum; cujus gratia liberalissimus Princeps insignem lapidum pretiosorum, & Conchiliorum vim Collegio donavit; utriusque horologii hemisphærium terrestræ Boreale eleganter pictum, ex encausto artis hujus peritissimus, efformavit R. P. *Ignatius Sichelbart* e Soc. Iesu, e Bohemia demum, ut petebat, ad Sinas missus.

Sphæra Cælestis in diametro unum fere pedem Pragensem habens, & motum circa axem intra 24 horas absolvens, *Kleinio* effectori debetur: automa elegantissimum.

Horologium Eclipticum, supremus *Ioannis*, quantum scio, labor, novi enim suavissimum



simum Senem. Opus hoc ita adornatum est, ut *Telescopium Dioptricum* ad planum horologio normale affixum, motum obscurati sideris sequatur, simulque durationem Eclipsos machina in minutis secundis designet.

## IOANNES LEWALDT.

**I**oannes Lewaldt e Soc. Iesu. Patrem habuit, ut ex ipso me audivisse memini, Militari dignitate clarum. Novæ Domi in Bohemia literis humanioribus institutus, subinde Societatem Iesu est amplexus; in hac Philosophiæ & Theologiæ Doctor, nostra memoria Senio-rem Sacræ Facultatis, & Decanum egit. Plurimum tamen operæ in Mechanicis, & Chimi- cis posuit; propterea Musæi Mathematici O- lomucii, & ultimis vitæ annis Pragæ cura illi mandata. Nunquam otio indulgentem opti- mum Senem vidisses; a teneris amatus labor recreabat ætate gravem adeo, ut si quos e ve- teranorum numero de tædio querentes audis- set, continuo reprehenderet; fructum hunc de- bere illos juventuti, in qua neglexissent ad- discere, quod ætate provector oblectaret. A- poplexia extinctus est Pragæ Veteris, 4 Sep- tembris 1766, ætatis 85.

## IOANNES FERDINADVS SCHOR.

**I**oannes Ferdinandus Schor anno 1686. 24 Iu- nii nobili genere Oeniponti natus, puer Geometria, Architectura, Perspectiva a Patre suo

suo institutus, Mathesim a teneris amavit; Pa-  
 tre mature vivis erepto, Tutoris voluntate in  
 disciplinam Pictoris *Waldemanni* se dedit, Ar-  
 chitecturæ studio plurimum intentus. Romam  
 subinde missus, præstantissimorum Artificum  
 consuetudine ibi usus est. Triennio elapso  
 Roma revocatus in Patriam, inde Pragam ve-  
 nit; hic multa eleganter pingendo, & cum-  
 primis Propyleum Templi Metropolitanæ, in-  
 claruit. Cum anno 1725. Inclyti *Status* Re-  
 gni Bohemiæ alveum Moldavæ perpurgan-  
 dum decrevissent, illis adjunxere *Schorium*,  
 quibus negotium hoc commissum erat; in quo  
 ita versatus est, ut non expetitur, sed obla-  
 tum acceperit, in laboris præmium, Professo-  
 ris Geometrarum Regni munus. Constantes  
 tandem anno 1734 prælectiones habere cœpit,  
 eo discipulorum palam edito progressu, ut ex  
 iis non pauci Militari officio continuo dona-  
 rentur. Anno 1744 Litomericium proficisci  
 jubetur, ut sociis Exercitus nostri Saxonibus  
 ponte Albim insternat, quo in summa difficul-  
 tate cellerrime præstita, redux stipendio an-  
 nuo 400 florenorum, ad 800 quos obtinebat,  
 addito auctus est. An. 1745 prælio ad Stri-  
 gaviam commisso exercitus Cæsareus Reginz-  
 hradecium se recepit, huc celeribus nuntiis  
 evocatus *Schorius*, a Carolo Lotharingæ Du-  
 ce de munienda hac urbe sententiam rogatus,  
 inundationem huic loco maximo præsidio se-  
 curam jam tum asseveravit; ibi supremo Rei  
 Armamentariæ Præfecto *Harscbio* immoritur,  
 qui

qui suspicere illum & amare deinceps perexit.  
Obiit Vir morum integerrimorum, an. 1764:  
4 Ian. Elatus ad D. Aegidii comitantibus omni-  
bus bonis, magna Militum frequentia. Ex illius  
scriptis Tractatus de Architectura Civili, de  
operibus Campestribus, de pulvere pyrio, de  
purgandis Fluviorum alveis magnopere lau-  
dantur, nunquam tamen typis editi.

Plurimi tam Sago, quam Toga conspi-  
cui nunc Viri, ex disciplina Schorii prodie-  
runt: unum nominabo *Carolus Iosephum* E-  
quitem de *Bienenberg* mihi amicissimum, Pro-  
vinciae Reginae hradecensis Regium Praefectum,  
qui etiam Historiam Patriam editis aliquot vo-  
luminibus illustravit. *Plura videantur vol. 2*  
*Erudit. Bob. & Mor.* Erat Schorius, ut a-  
liquid de meo addam, ex illa Mathematico-  
rum Classe, quorum tres *Christianus Wolffius*  
*in praefat. ad Belidorii Architecturam Hydraul-*  
*licam* statuit; qui subtilia, & a sensu commu-  
ni longius respuunt, solumque proxima ad  
usum accommodatione Theoriae utilitatem me-  
tuntur.

## PAVLVS REINLD.

**P**aulus Reinld Bohemo-Lippensis, Ordinis S.  
Benedicti in Monasterio Brzewnoviensi  
ad Pragam, aetatis 78 annorum, etiamnum se-  
nio confectus in Mathesi conquiescit; olim  
in Universitate Pragensi Philosophiae Audi-  
torum *Examinator Regius*.

Vidi Religiosissimi Viri juxta, ac diligen-  
tis-

tissimi manuscripta opera duobus tomis in folio comprehensa. Vnus inscribitur: *Tabula quinque minorum Planetarum ad omnia Anomalie minuta prima aucta, pro facilitando calculo Ephemericum.* Alterius hæc est Epigraphæ: *Opus manuum quotidianum tractans de Arithmetica, terminatum sub Reverendissimo Domino Bennone II. Abbate Brzewnociensi 49. Studii Mathematici conservatore, quarto Regiminis anno Brzewnovii &c.*

Edidit anno 1754. Azimutha seu distantias solis a Meridiano ad singulas totius anni horas & quadrantes pro latitudine Pragensi  $50^{\circ} 5'$ .

Item anno 1755. Amilcantarath, seu altitudines Solis ad singulas anni horas, & quadrantes etiam pro Pragensi latitudine.

### CAROLVS LANGER.

**C**arolus Langer e Soc. Iesu in Vniversitate Olomucensi undecim annis Matheseos Professor. Nihil quidem ab ejus ingenio profectum vidi, Virum tamen fuisse solertissimum, & multa Mathematica nitidissimis literis pinxisse, quod hanc artem optime callebat, & amabat, a Cl. *Stephingo* accepi. Decessit Pragæ veteris 1750. Mense Majo.

### MAXIMILIANVS GERCK.

**M**aximilianus Gerck e Soc. Iesu, in Vniversitate Olomucensi Matheseos Professor compluribus annis. Vir erat Mathematicum scien-

Scientissimus, præcipue vero in Architectura Militari elaboravit, quod vel hinc exploratum habemus.

Proximo enim Bello Borussico, anno 1750. Olomucio obsidione cincto, illius consilium olim Munimenti Præfectis datum saluti fuit; quos mature admonuit, locum quemdam ostendebat, idoneo opere præstruerent, ni hostem aliquando manibus excipere vellent. Placuit, quod suadebatur, & secuta obsidio necessarium fuisse docuit. Finem vivendi fecit Olomucii anno 1754. 24 Decembris.

## IGNATIVS MÜHLWENTZL.

**I**gnatius Mühlwenzl e Soc. Iesu, Egræ primam lucem aspexit, maximam vitæ partem, inter Socios Iesu actæ, Mathesim *W*ratislaviæ, & Pragæ, qua publice, qua privatim docendo contrivit. Senio jam fractum novi, & *Spiritus Magistro*, dum Pragæ Philosophiæ operam dedissem, sum usus; Vir erat emendatissimis moribus, otii summus osor; atque ideo in extrema etiam Aetate vitris poliendis, & formandis tubis dioptricis se recreabat. Obiit in Collegio Clementino 1766. 7 Novembris Septuagenario major.

Illi Authori deberi puto libellum anno 1736. Pragæ typis datum, qui inscribitur: *Fundamenta Mathematica ex Arithmetica, Geometrica, & Trigonometria.*

F

IOAN.

---



---

## IOANNES IÜNGLINGK.

**I**oannes *Iünglingk* natus Brunæ 1705. 2 Febr. Societatem Iesu ingressus 1721. 27 Octobr. Docuit Mathesim in Vniuersitate Pragenfi annis 5 & dimidio. Decanum Philosophicæ Facultatis egit totidem annis. Edidit Pragensibus typis anno 1747:

*Fundamenta Mathematica ex Arithmetica, Geometria Elementari varie applicata, ac Trigonometria plana, cum annexis Theſibus ex Horographia.* Deceſſit Hradisti in Moravia anno 1775.

## IOSEPHVS STEPLING.

**I**osephus *Stepling* Cæsareo-Regius in Vniuersitate Pragenfi quoad Physicam, & Mathesim Præses, & Director. Munus hoc, in annum quintum & vigesimum ab eò nempe tempore, quo Neoterica Philosophia, illius potissimum curis, Aristotelicæ substituta est, summo Rei Literariz bono sustinet.

Natus est Ratisbonæ Patre *Westphalo*, qui Legato Cæsareo a secretis erat, Matre Bohemæ: an. 1716. 29 Iunii, sed a teneris unquiculis, Patre mature vivis erepto, Pragæ enutritus. Societati Iesu anno 1733. 9 Octobris nomen dedit. Adhuc puer Mathesim coluit, in Euclideanis Taqueti, & recens a *Wolffio* editis Elementis habitavit, Magistro ingenio suo, prout de *Pbericide* narratur, usus.

Quam disertus & eloquens in laudando Viro essem, nisi me & modestia ipsius, & adu-

adulationis metus cohiberet. Impetrare tamen a me nequeo, quin ille ego sequens grati animi monumentum etiamnum superstiti erigam, qui ad Mathesim diligentius colendam tandemque docendam, quod adhibitus sim, uni *Steplingo*, Moderatoribus meis istud suadenti, meque erudienti, plurimum debeo: Habet in Illo Bohemia solidarum scientiarum parentem; superatis enim omnibus molestiis, quas devorandas suscepit, ut civitate donatum Aristotelem loco moveret, in id totus incubuit, ut Philosophiæ sanioris, & Matheos doctrina proveheretur; provecta est. Atque ideo mirari soleo recentiores rerum patriarum scriptores, de occasu Literarum in Bohemia frequentius querentes, quasi vero cum exulibus seditiosis hæreticis, & illæ exulare iussæ fuissent, cum tamen si solam linguæ Czechicæ peritiam excipias, in veri nominis scientiis a *Steplingo* nostra memoria propagatis, nihil sit, quod veteribus invidemus, plurimum sit, quo vincamus.

Sed quibus artibus severioribus disciplinis opportunissime consuluit? nempe munera commodiora a Moderatoribus oblata modeste declinando, Nostrorum Mathesi informandorum unum sibi expetiit officium, quo in iis rite institutis, publicæ demum utilitati prodesset; qui immodicus labor, sex integros annos *Steplingum* occupavit.

Directoris tandem Cæsarei totius Philosophiæ, & humaniorum literarum honore

ab Augusta cumulatus, quanto bono annis octo præfuerit, loquuntur Musæ, si quando, certe illo moderante florentes; loquuntur elegantissimæ dissertationes de rebus Mathematicis, & Physicis in *Confessibus Literariis* lectæ, illo plerumque Authore, semper ponente argumentum, iudiceque. Loquitur *Camera Experimentalis Steplingi* curis erecta.

Anno 1761. cum Directoribus Theologiæ, & Philosophiæ Iesuitis, Decreto Augustæ alii surrogarentur in omnibus Austriacæ Ditionis Vniversitatibus, unus *Steplingus* in munere suo perstitit, agentibus id Regni Proceribus, qui parem, quem sufficerent tanto Viro non inveniebant. Quia tamen Voluntati Summæ ita placebat, ut Logicæ, & Ethicæ studia alius dirigenda susciperet, Mathesis, & Physica *Steplingo* Præsidi sunt relicta.

Sed non minus ex eo elucebit Optimum nostrorum in *Steplingum* animus, quod continuo adferam: Anno 1764. Imperio *Aula Viennensis* reductio mensurarum & ponderum Bohemicorum ad normam Austriacam institui debuit. Negotium totum ab Inclytis *Bohemia Statibus Steplingo* commissum; qui propterea gravissimis incommodis se subicere, impediti, & prolixi calculi tædia devorare non dubitavit, ut mihi in aliquam laboris partem vocato optime constat.

Non multo post, cum inter eosdem Regni Proceres non conveniret, quisnam vivis erepto Professore *Ioanni Schorio* suffici deberet,

ret,



ret, omnium una fuit sententia. *Steplingi* iudicio standum esse: neque etiam ab illo publica eorum Auctoritas subinde discessit. Ipse vero, ut omnem a se amoveret invidiam, coram Arbitro Nobili Viro de *Leyner*, Candidatorum Doctrina explorata, optime merito Cl. *Leonardo Herget* palmam assignavit, moxque Proceres munus expetitum contulere.

Erecta aliquando Pragæ *Agriculturæ Societate*, *Steplingus* inter primos *Assessor* nominatur; quem quidem oblatum honorem verebatur assumere, sed etiam detrectare; illud modestia Viri, hoc Societatis suæ decus suadebat, cui tandem cessit, idque solum in animo habuisse quisque videbit, qui Titulos hoc dignitatis gradu suos *Steplingum* augere potuisse, auxisse nusquam leget.

Atque mirum non est eo animo Principes Bohemæ Viros in *Steplingum* ferri, qui sciant, apud Augustam ipsam gratiosum fuisse, ad cuius secretius Colloquium cum Pragæ, tum Viennæ iterum, iterumque sit admissus.

Verum ne domi hæreamus solum, juvat videre, quo loco apud exteros Noster sit primus occurrit nominandus Cl. *Christianus Wolffius*, notissimum Germaniæ decus: cum hoc literarum commercium iniiit, necdum Sacerdotio initiatus, coluitque usque ad supremum *Wolffii* diem; cui paulo ante obitum roganti, *Doctrinæ Catholicæ Expositionem a consueto scriptam* misit.

Apud Cl. de *la Caille* in Collegio *Mazari-*

zariniano Parisiis Matheseos Professore, quantum valuerit, hinc disce: *Tabularum Solarium* exempla pauca excudi curavit Astronomus hic Celeberrimus, eaque inter summos duntaxat Viros, amicosque suos distribuit; in horum numero erat *Steplingus*:

Cl. de *la Lande* Regius Parisiis Astronomus, totus *Steplingi* est: Ille Harissonianum horologium a præstantissimo artifice Parisino *le Paute* factum, quod specula nostra Astronomica exhibet, fieri curavit, *Steplingoque* misit.

Quid dicam de amicitia per literas contracta, cum Viris Iesuitici olim Ordinis Illustrissimis? *Boscovichio*, *Frölichio*, *Hellio*, *Le Maire*, *Huberti*, aliisque? Insignem illum *Augustanum* Mechanicum *Brander* suum quoque habet, cujus humanissimis literis frequentius recreatur, *instrumentis* utitur.

Sed jam ad opera a *Steplingo* conscripta transeamus: plurima erudito Ejus Musco hucusque concluduntur: ut *Méchanica* magnam partem *Sagnerianæ* *Physicæ* inserta, *Astronomia* &c. quæ lucem aspexerunt sunt sequentia:

In Actis Eruditorum Lipsiensibus leguntur: *De actione Solis in diversis latitudinibus observatio* ad an. 1750. pag. 609. *De Centro oscillationis inveniendæ solutio directæ* ad an. 1759. pag. 14. *Eclipsis Solis Pragæ observata. Dissertatio contra insignem superficiem Oceani, & marium cum eo communicantium in-*  
*aqua-*

*æqualitatem a Cl. Henrico Kùbniø Matheſeos  
Profefſore Gedanenſi aſſertam.*

Differtatio hæc Pragæ primum edita eſt,  
tandem cum ſummis *Sceplingo* inſcriptis Lau-  
dibus tota in Actis Lipſienſibus recuſa.

Ita enim Eruditi Lipſienſes habent: Mi-  
ſit ad nos pro ſua humanitate, atque erga nos  
benevolentia, *Sceplingus* Vir Clariffimus ob-  
ſervationes iſtas, plenas bonæ frugis, doctri-  
næque reconditæ, ut ſi e re Literarum vide-  
retur, docto orbi inſertæ his actis noſtris,  
hoc magis innotefcerent, dareturque adeo op-  
portunitas hominibus doctis, ſuper quæſtione  
propoſita, quid tandem ſentiendum ſit decer-  
nendi. Nos igitur lectis non ſine voluptate  
Viri Clariffimi obſervationibus, credidimus o-  
peræ pretium facturos nos, atque rem grati-  
ſſimam lectoribus, ſi breviculæ Epitomes lo-  
co, quidquid eſt *Sceplingianarum* de quæſtio-  
ne maximi momenti meditationum, id omne  
huc transferremus: quod & Doctiffimi Viri  
præclaram doctrinam maximi facimus, & ve-  
rendum fuit, ne paucæ plagulæ, paucis viſæ,  
Literarum incommodo mox interciderent. Ro-  
gamus autem Virum Clariffimum, ut pergat  
de his Actis noſtris, deque bonis literis in uni-  
verſum præclare, ut adhuc ſolitus eſt, atque  
egregie mereri. Hæc ex Actis Lipſienſibus  
anni 1760. pag. 152. exſcripſi.

*Miſcellanea Philoſophica, nempe tam Ma-  
thematica, quam Pbyſica, Pragæ 1759.*

*Liber ſecundus Euclidis Algebraicè demon-  
ſtra-*

*stratus in usum Matheos Tyronum.* Prodiit, dum Nobiles Alumni Seminarii Casarei ad S. Wenceslaum, suarum Exercitationum publicum specimen darent: Præside P. *Herberstein* e Soc. Iesu, ex Illustrissima S. R. I. Comitum familia.

*Discursus de Terræ motus causa, occasione motuum similium anni superioris, & labentis 1756. 30 Martii, Pragæ.*

*De Pluvia Lapidea anni 1753. ad Strkow, pagum uno milliari Taborio distitum, & ejus causis meditatio.* Prodiit 1754. Pragæ. Huic adnexæ sunt observationes Baroscopica, Thermoscopica, & Hyetometrica ad an. 1752. Cum discursu præliminari de utilitate observationum Meteorologicarum.

*Miscellaneorum Philosophicorum* continuatio ad an. 1763, in quibus præter alia lectu dignissima de *longitudine Geographica Pragæ Bohemix Metropolis* agit.

*Adnotationes in celebrem transitum Veneris per discum Solis anno labente 6 Iunii futurum 1761, Pragæ.*

*De Terræ motibus quæsitæ* proposita in consessu Philosophico 29 Januarii an. 1757.

*Vergleichungs-Tafeln der alt-Böhmischen Maassen, und deren Preis mit den neu-Oesterreichischen, und deren Preis, auf bohe Verordnung berechnet, Prag 1764.*

*Exercitationes Geometrico-Analyticae* de unguulis aliisque frustis cylindrorum, quorum bases sunt sectiones conicæ infinitorum

Ge.

generum, an, 1751. Pragæ. Tum elapsis aliquot annis Dresdæ typis data.

*Differentiarum minimarum quantitatum variantium calculus directus, vulgo differentialis, Pragæ 1765.*

Elegans hic liber, quem durante obsidione Pragenſi proximo bello Borufficò *Step-lingus* composuit, in summo aliorum metu, medio armorum strepitu, perpetuoque tumultu: nam Collegium Clementinum tum *Carolus* Lotharingæ Dux, Exercitus Austriaci Imperator, cum frequentissimo Præfectorum bellicorum, militum, servorumque comitatu incolebat, tandem in lucem protractus Magno Duci Hetruriz *Petro Leopoldo* cum Pragam iustrasset, a Collegio Clementino est oblatuſ. *Differtatio de mutatione axeos terreſtris, & de aberratione Aſtrorum. Differtatio de Aurora Boreali* Germanice ſcripta. Pragæque edita. De Antlia fugente, item de conductore electrico ſchediaſma.

*Eclipſis Lunæ totalis Pragæ obſervata, & Germanice typis commiſſa. Primum Step-lingi, quod in lucem dedit, opus.* ●

Memini me ante annos facile decem, iudicium cenſorum Lipſienſium germanice expreſſum, de adductis operibus legiſſe, in hunc ſenſum loquuntur: omnes Illius licet quosdam mole exiguos tractatus auro dignos, ſibi que potiores eſſe magnis aliorum voluminibus; quod res ab Authore inventas, non aliunde ſumptas, elegantes, atque utiles contineant.

In

In Astronomiam collata a *Steplingo* merita sunt tanta, ut post *Tybonem*, qui compo-  
ni cum Eo possit, sit omnino apud nos nullos.  
Primus ille est, qui idoneam observationibus  
speculam, *Tyboniana* his usibus negata, Pra-  
gæ erexit, & apparatu præstantissimo instruxit.  
Rem totam in posteritatis gratiam juverit al-  
tius repetere :

*Franciscus Retz* Bohemus, qui subinde  
universam Iesu Soc. *Præpositus Generalis* re-  
xit, speculam eo loco, quo nunc conspicitur,  
ad elegantiam magis, quam ad commoditatem  
extrui curavit. Stabat itaque illa plus tran-  
seuntes ad se spectandam, quam Astronomos  
ad lustranda feliciter sidera alliciens. Dum  
*Steplingus* Pragæ Theologiæ dat operam, op-  
portune accidit, ut Nostri homines ab Aca-  
demia Berolinensi invitarentur ad imminentem  
Eclipsim solarem observandam, sed instrumen-  
tis necessariis desideratis, minus quam sibi A-  
cademici promittebant, præstitum est. Usus  
hac occasione *Steplingus* Moderatores suos ad-  
dit, quamque ex honore Societatis id esset,  
si in aperiorem formam speculam strui, provi-  
deri de instrumentis juberent, exponit; se mo-  
deratorem operis, modo paterentur, futurum.  
Placuit consilium, *Steplingus* necdum Sacer-  
dos & fabricam & apparatus curat, atque ad  
eum, quem nunc læti videmus, gradum opus  
deducit. Cujus Astronomicæ Molis usque ad  
annum 1777. curam retinuit; ego vero felicis-  
simum me reputo, quod illi in hoc munere  
anno 1766. sum adjunctus. lam

**Item Supellestilis Astronomicæ Specimen aliquod dabimus :**

**Horologium Harissonianum Parisiis ad-  
vectum.**

**Alia duo Grahamiana Viennæ perfecta.**

**Aliud ejusdem formæ Astronomicum  
Pragæ factum.**

**Rursum aliud a Patre *Picardi* Iesuitæ  
donatum.**

**Instrumentum pro altitudinibus Stellæ  
correspondentibus observandis, Pragæ con-  
structum.**

**Instrumentum Parallelicum, quod non  
tam Artifici Pragensi laboranti, quam *Stephlingo*  
dirigenti ortum debet; in hoc Tubus Di-  
optricus eleganti Micrometro Parisino est in-  
structus.**

**Quadrans ampliatus, quali uti solebat Cl.  
*Marinoni* Astronomus Cæsareus.**

**Quadrans Herbipoli curante Cl. *Huberti*  
e Soc. Iesu perfectus, duobus Tubis altero  
Horizontali fixo, mobili circa centrum altero  
instructus, cui Micrometrum externum aliud  
cum nonnio, aliud internum oculare conjun-  
ctum.**

**Quadrans de *La Hirianus* minoris, quam  
prior, Diametri.**

**Duo Quadrantes Murales egregiz molis.**

**Telescopium Catadioptricum *Newtonia-  
num* Vienna allatum.**

**Telescopium *Gregorianum Branderi* o-  
pus, instructum Micrometro objectivo, cujus  
Théo-**

Theoriam *Boscovichius* Viennæ typis dedit  
1757.

Tuborum Dioptricarum & varietas & numerus insignis.

Omnia ista pluraque alia perstricta solum, non ut oportebat commendata debentur *Step-lingo*, qui Patrimonium suum aliquot millium, adjutus liberalitate *Francisci Zeno*, in comparandam hanc supellectilem profudit, & deleta Iesu Societate usibus publicis cum pretiosissimorum librorum, uti sunt Acta Academia- rum Parisinæ, Petropolitanz, Berolinensis, Bononiensis instituti &c. multitudine præclara dono dedit.

Atque ideo de tantis illius in Patriam Nostram meritis penitus tacuisse, animi fuisset ingratiissimi, illa vero laudibus exæquare voluisse, nimium confidentis.

Vnum *Steplinge* priusquam de Te loqui cessem, porro addam: *Sera fit illa dies, & nostro tardior ævo*, qua tu hic non obtenta, ad Cælos migrabis, Laborum Tuorum, pulcherrimarumque Virtutum accepturus præmia, dilata enim cumulabis.

## IACOBVS HEINISCH.

**I**acobus *Heinisch* in Lucem editus Kiriteinz in Moravia an. 1718, die 8 Maji. Societati Iesu adscriptus 1736. 20 Octobris. Absolutisque præclare in eadem superioribus studiis, AA. LL. & Philosophiæ Doctor renunciatus, præter alia Mathesim in Vniversitate  
Pra-



Pragenſi docuit annis tribus & dimidio, eo Auditorum ſuorum progreſſu, ſuique nominis commendatione, ut hinc ad Olomucenam Vniuerſitatem Director Czfareo-Regius Philoſophiæ & Artium ſit translatus, quod munus integro ſeptennio egregie obivit.

Olomucio ſubinde Pragam novam miſſus ſociorum *Præſectum in ſpiritu* egit, ſed ille tanta etiam in Exteros charitate ferebatur, ut graſſante tum Epidemico inter Cives malo, paſſim ad ægros excurreret, eosque ad mortem feliciter ſubeundam compararet. Hinc peſte hauſta, cum tentatam morbo valerudinem in villa Collegii Woſtrzedecenſi reficere vult, tumulum ibi invenit anno 1771. 17 Septembris.

Vidi ab Eo editas Pragæ an. 1752. Propositiones de Geometria *Theorica & Practica, Mechanica* &c. Elegantes cum figuris æri inciſis.

## IOANNES WENDLINGEN.

**I**oannes *Wendlingen* Pragenſis, Equeſtri genere ortus anno 1715. 7 Septembris. Societatem Ieſu amplexuſeſt 1734. 11 Octobris.

Cum ante annos facile quinque & viginti Profeſſor Matheſeos *pro Collegio Imperiali Madritum* a Noſtris peteretur. *Steplingus* Sociorum in Mathematicis Magiſter *Wendlingenum* officio huic parem Moderatoribus propoſuit. Continuo Ille lubens volenſque ad Urbem, Hesperiz Caput mittitur. Hic *Geogra-*

*graphum Indiarum Majorem Regii Consilii, & Matheseos Professorem, simulque apud Tribunali Sacrae Inquisitionis, ut vocant Qualificatorem annis 10 egit. Vidi anno 1755. editas ab Eo Madriti Hispanico idiomae Conclusiones Mathematicas de Arithmetica, & Geometria tam Elementari, quam Practica.*

Hodierno demum Hispaniarum Monarcha Neapoli Madritum translato, *Wendlingenus Instructor* totius Familiae Regiae, omnium nempe Regionum Principum constituitur. In quo difficillimo munere, ita se gessit toto octennio, ut tenerimum a Nobilissimis Alumnis suis amorem sit consecutus, praecipue vero a Serenissima Magni Ducis Hetruriae *Petri Leopoldi* Coniuge, quae voluntatem erga illum suam etiam Augustae Nostrae egregiis Indiciis probatam fecit. Hinc cum Viennae non ita pridem extitisset, *Wendlingenus* e Bohemia evocatum coram habere voluit. Ex quo ille in Regia Vindobonensi gratia plurimum valet.

In Bohemiam vero ex Hispania tum primum rediit, cum ibi manere, quod Iesuita esset, Regio Decreto vetabatur. Pragae itaque appulsus, *Biennio* Musaei Mathematici in Collegio Clementino Praefecturam sustinuit: Nunc a sublata Societate sua Stipendiis tam Austriacis, quam Hispanicis donatus, sibi in *Libeschticensi Tusculo* vivit.

### CASPAR SAGNER.

**C**aspar Sagner Silesius Novo-forensis, natus 1721. 9 Maji. Societati Iesu se addixit

1737.

1737. 21 Octob. in Olomucensi Vniverſitate  
 Mathefim docuit anno uno. Philoſophiam  
 Neotericam tradidit Pragæ annis quatuor, &  
 primus ad mentem *Wolffi*, & *Newtoni* tribus  
 voluminibus comprehenſam typis vulgavit;  
 quæ etiamnum in Phyſica prælegitur a Col-  
 lega meo *Petro Cbladek* Regio Phyſices Pro-  
 feſſore, illius curis poſt alteram editionem Pra-  
 genſem, & Italiam Placentinam commentatio-  
 nibus aucta, rurfum luci commiſſa.

Quantum in Mathematicis diſciplinis e-  
 laboraverit *Sagnerus* & ex laudato elegantif-  
 ſimo opere, nec minus hinc fit cuique mani-  
 feſtum: quod ſubinde Madritum ad docenda  
 in Imperiali Collegio Mathemata evocatus, in  
 eo munere quinque annos extraxerit. Donec  
 valetudini affectæ conſulturus, mutare pere-  
 grinum Cælum cum Patrio eſt coactus. Re-  
 dux Decanus Philoſophicæ Facultati præfuit  
 in Pragenſi Vniverſitate annis quatuor. Theo-  
 logiæ Doct̄or creatus, Sociis Ius *Canonicum*  
 prælegit. Sublata Societate Ieſu ad *Seminarium*  
*S. Wenceslai* ſe recepit, ubi Illuſtriſſimum *A-*  
*loſyſium* S. R. I. Comitum a *Kollowrat* Canoni-  
 cum Olomucenſem, Philoſophiæ & Mathefi  
 inſtituit, ibique adhuc detinetur.

Edidit etiam *Sagnerus* præclaram com-  
 mentationem de ortu Stratorum Telluris, &  
 ratione, qua corpora marina in loca mediter-  
 ranea translata ſint, recitatam in Confeſſu Li-  
 terario, Pragæque impreſſam.

STE.

---

## STEPHANVS SCHMIDT.

**S**tephanus Schmidt Ionsdorfensis Bohemus, natus 1720, 30 Decembris, Societatem Iesu ingressus 1739. 10 Octobris. In Vniuersitate Pragensi primum, demum Olomucensi Matheseos Professor constitutus, in eo munere anno jam quinto supra vigesimum versatur maxima nominis sui commendatione, nec minore discentium fructu. Edidit Elementa Algebrae, & Geometriae, cum Trigonometria, tractatuque de Sectionibus Coni, tum utriusque Architecturae rudimenta in usum suorum Discipulorum, quae Praegae primum, tum Olomucii iterum, atque iterum typis sunt commissa.

## IOANNES KÖRBER.

**I**oannes Körber e Societate Iesu, Iglaviensis Moravus, Matheseos Professor in Vniuersitatibus Olomucensi, & Pragensi. Olomucii cum esset, ab Inclytis Marchionatus Moraviae Statibus Brunam evocatus, Mensurarum & Ponderum rationem ad normam propositam reduxit. Non pauca laboris sui indefessi, & ingenii edidit monumenta; mihi *Dissertationem Mechanico-Physicam* de actionibus, & effectibus Machinarum anno 1761. Praegae excusam, videre contigit. Obiit Praegae 1762. Mense Februario, Vir vita longiore dignissimus, mihi Ejus tum Discipulo ereptus.

NEPO.

## NEPOMUCENVUS POLANSKY.

**N***epomucenus Polansky*, Brunensis Moravus, natus 1723. 7 Februarii. Ad Societatem Iesu se aggregavit 1738. 9 Octobris. Doctor Philosophiæ & Theologiæ, præter multa alia docuit Mathesim anno uno. Philosophiam Pragæ tribus. Obiit Olomucii 13 Octob. 1776.

Edidit libellum *de Anayysi Algebraica*.

Dissertationem *de Veneris Phasibus* anno 1761.

Item duas Dissertationes Physicas: unam de primariæ Iridis ortu, & natura. Alteram de orru, & natura Iridis secundariæ. Pragæ typis Clementinis excusas.

## IOSEPHVS BERGMANN.

**I***osephus Bergmann* Neo-Bidzowii in Bohemia natus anno 1723. 28 Decembris. Ingressus Societatem Iesu 1740. 21 Octobris. In Vniversitate Pragenfi Matheseos Professorem egit annis septem, quem ego discipulus audiebam. Demum Theologiæ Doctor renunciatus. Alumnos Ecclesiasticos in Episcopali Seminario Reginæhradecii *Morali Theologia*, & *Fidei Controversiis* instituit, simulque *Consistorio* assedit.

Rediit subinde ad Vniversitatem, & sub obitum Societatis Iesu Historiam sacram publice prælegit. Sibi nunc vacat.

Edidit *Lectiones Mathematicas* in usum suorum Auditorum Pragæ 1765.

Dissertationem *de Ortu, ac Phænomeno*

G

C



*Caudæ Cometice*, recitatam in Confessu Literario Ordinis Philosophici Fragæ 1760.

Item *Dissertationem de Aurora Boreali* anno 1762.

## IOANNES TESSANEK.

**I**oannes *Tessanek*, Brundufiensis Bohemus, natus 1728. 8 Decembris, Iesu Societatem ingressus 1745. 9 Octobris. In hac Philosophiæ, & Theologiæ Doctor renunciatus, illam præter alia docuit *Biennio*. Demum Mathematicam sublimiorem, in Vniuersitate Carolo Ferdinanda tradendam anno 1762. suscepit, in quo munere etiamnum versatur.

Nactus est Vir acerrimi ingenii discipulos plurimos, in quos impentæ illum operæ minime pœniteat, ego iis laudandis, cum notissimi sint, supersedebo. Vnum me anno 1764. auditorem illius nominabo, qui licet aliis forte doctrina inferior sim, animi tamen erga Magistrum grati officiis nemini concedam.

Edidit anno 1760. *Dissertationem*, qua pertractatur quæstio: an Archimedes Classem *Marcelli Syracusas*, & *Proclus* naves *Vitaliani Constantinopolim* obsidentis ope speculorum planorum accenderint?

Item *Dissertationem de chordis fidium* leniter tactis.

Anno 1764. *Miscellanea Mathematica*, quibus res non minus elegantes, quam utiles extractantur.

Es-

Eodem anno *Sectiones Conoidum* genitorum rotatis circa axem Sectionibus Conorum.

Anno 1766. prodiit *Expositio Sectionis* secundæ & tertix libri primi Principiorum Mathem. Phil. Natur. Cl. *Newtoni*.

Anno 1767. *Expositio Sectionis* quartæ libri primi eorundem Principiorum.

Anno 1768. *Expositio Legum motus* in Principiis *Newtoni* contentarum.

Anno 1769. Libri primi *Principiorum* Laudatorum Sectio quinta.

Eodem anno. *Miscellanea Mathematica*, in quibus præter alia, insigne Theorema a Cl. *Steplingo* calculo sublimiore inventum, de ratione Sectoris Spiralis, ad Circularem, descripti a gravi descendente, & rotatione Telluris simul abrepto, demonstratur.

Anno 1770. *Pertractatio* quorundam modorum, quæstiones Geometricas resolvendi.

Anno 1771. *Pertractatio* Elementorum Calculi integralis.

Eodem anno Olomucii excusa est *Expositio* Legum motus, cum Sectione prima Princip. Mathemat. *Newtoni*.

Anno 1772. *Observationes* in Astronomiam Clarissimi Viri de *La Caille*.

Anno 1773. *Exercitationes Geometricæ* Ioannis *Holfeldt*, tum Soc. Iesu Religiosi, & *Tessanekii* Superiore anno Auditoris.

Anno 1774. *Betrachtung über die Arithmetische Regel zweyer falschen Sätze*.

Anno 1775. In Actis Societatis Eruditorum Privatæ in Bohemia volumine primo: *Methode die vollkommenen Theiler einer gegebenen Zahl zu finden.* Ab hac Societate præstantissima, tria jam in lucem emissa sunt volumina, in quibus Mathematicum Argumentum *Steplingus*, & *Tessanek* nec non *Sternad* passim occupant.

Quia vero in *Vniversali Bibliotheca Germania*, Methodus modo nominata, immeritam censuram subiit, uti etiam *Meditatio* de Regula Falsi duplicis positionis, *Responsum Tessanekius* anno 1777. Germanice scriptum Pragæ edidit.

Eodem anno rursus in aula Carolina distributa est inter Auditores libri primi. Math. Princ. Phil. Nat. *Newtoni* Sectio XII. cum *Franciscus Gerstner*, Bohemus Comotoviensis, ex *Vniversa* Cl. de *La Caille* Astronomia tentaretur; quæ jam anno 1776. typis commissa est, cum idem Scientiæ suæ, e toto libro primo Principiorum Mathematicorum Cl. *Newtoni* hauttæ specimen publicum daret.

## ZACHARIAS WAEHNER.

**Z**acharias Wæbner, Nicolsdorffens. (Bohemus, natus 1728. 16 Junii. In Societatem Jesu admissus 1746. 20 Octobris. Mathesi deinceps *Practica* plurimum Studii, atque operæ impendit; propterea *Kleinio* primum, tum Ei mortuo successit ex ordine aliis *Musæo Mathematicæ.*



thematico Præfectis datus est Socius. Duos supra viginti in officio hoc contrivit annos, multa tentavit, perfecit etiam non pauca: ut Horologium *μωυατροχον*. Automata *Kleinii* suo loco laudata, ipsi in laboris partem vocato quoque debentur. Nunc unus de multis est.

*Quadraturam Circuli* exercitacionis gratia dare est aggressus, & in chartas conjectam *Steplingo* exhibuit, sed Ille egregiam hinc Geometriz peritiam in Authore suspexit, inventam Quadraturam negavit.

Edidit tacito nomine *Dissertationem de Caussa gravitatis*.

## FRANCISCVS ZENO.

**F***ranciscus Zeno* Perillustri prosapia apud Moravos Olomucii natus anno 1734. 6 Ianuarii. Societatem Iesu amplexus 1749. 9 Octobr.

Multum Viro huic adhuc superstiri, & nunc Astronomo Pragæ Cælareo, debet Matheseos studium in Patria nostra promotum. Nam præter impensos illi docendæ in Carolo-Ferdinanda Vniversitate annos sex, & duos in Olomucensi Nobilium *Convictu*, ubi non paucos Clarissima Familia editos, Pyrotechnia & Architectura Militari, plaudentibus Supremis Belli Præfectis felicissime instituit, Tam lubricationibus suis quam profusa liberalitate magnopere obnoxias nostras Artes sibi fecit: siquidem aliquot millium florenorum hæreditatem, bona Moderatorum venia, in comparanda Instrumenta Astronomica convertit, ut adeo post  
*Step.*

*Steplingum* illi in acceptis proxime referendus sit eximius, quo Specula Pragensis instructa est, apparatus.

Edidit *Elementa Algebrae, Geometriae, ac Trigonometriae*, cum Sectionum Conicarum compendio, in usum suorum Auditorum anno 1769. Ipse ego librum hunc illi decedenti in docendi munere anno 1773, susceptus, quatuor continuis annis in Scholis prælegi; indeque futurum spero, ut plus ponderis apud æquos rerum istarum æstimatores inveniat laus mea, atque intempestivorum Censorum (quorum anno 1772 Pragæ vilis annona fuit) levissimum de hoc opusculo iudicium.

Vtinam Criticorum istorum quisunque ille fuerit, sibi immurmurasset elegans Divi Hieronymi monitum: *ut de omnibus iudices, cujus hoc iudicio meruisti?* Sed satis jam anno 1773. scripto *Beralini* excuso sunt castigati, quo rerum censura notatarum minus periti, parum cordati, minime modesti fuisse ostenduntur.

Vulgavit etiam *Zeno* nonnullas Germanico sermone Dissertationes *Historiam naturalem Bohemix* illustrantes, quæ in *Recreationibus Physicis Pragæ* impressis leguntur. Ubi inter alia de *Petrefactis conchis marinis* agit, quæ ad *Tuchomericum*, *Clementini Collegii* olim *Tusculum*, reperiuntur; tam præclare in omnibus versatus, ut testimonio *Clarissimi Viri Christophori Murr in Epistol. Apologeticis pro Societate Iesu suppressa* Epist. 27. egregium se *Lythologum* probaverit.

Ne-

Neque tacendus est liber, quamvis hujus loci non sit, quem anno proxime elapso, ut est Vir religiosissimus, tacito nomine in lucem emisit: *Moralischer Grundriß der menschlichen Leidenschaften, sammt allgemeinen und kräftigen Mitteln dieselbe in gehöriger Ordnung, und gutem Gebrauche zu erhalten.*

F R A N C I S C V S

SAC. ROM. IMP.

COMES KINSKY.

**F**ranciscus S. R. I. Comes Kinsky, Pragensis Bohemus, non tam fumosis Clarissimorum Majorum Imaginibus, quam virtutibus, & multiplici Doctrina, Mathematicum vero peritia singulari memorabilis. Supremus nunc Vigiliarum in Exercitu Austriaco Præfectus. IOSEPHO SECUNDO AVGVSTO Charissimus.

Laudandi Viri hujus Illustrissimi finem invenire nullum, si omnia in Illo Præconis digna persequer. Compendio hic solum agam, quo & modestiæ summi Herois consulam, & adulationis notam declinem.

Hic Ille est, cujus hortatu, & quantum ad me attinet, jussu opusculum hoc qualecunque conscribendum suscepi, rerum nostrarum ignaris ostensurus, idonea etiam Divinæ Mathesi apud nos nasci, alique ingenia. In iis enim præter Militares labores, curis est totus, ut qua sua mentis perspicacitate, qua autoritate, exemplo, cohortationibus, dulcissimam Bohemiam porro excolat, & exornet.

Hinc præstantissima illa *Naturalium* collectio, constitutus que *Historiæ Naturalis* Professor ortum ducit. Hinc Bibliotheca Clementina Illustrissimæ *Kinskiorum* Familix, simulque Illius & Iesuitarum Bohemorum nec non Collegii Carolini libris aucta, usibus patere publicis cepit. Hinc in Novitiorum, atque etiam Veteranorum Militum animos, quo se Bellicis honoribus dignos redderent, Studii Mathematici amor, & diligens exercitatio profuxit: vident nempe Ducem suum omne, quod a negotiis liberum habet tempus, Nobilissime Scientiæ huic consecrare, eamque editis insignibus Commentariis, ad Architecturam Militarem spectantibus illustrasse. Legit nimirum *Kinskyus* a *Polybia* libro cum primis nono, in Belli Imperatore Geometricæ notitiam non mediocrem reliqui. Idemque fecit, ut hunc Insignem Scriptorem de Militaribus artibus agentem absque interprete adire posset, quod fecisse Catonem novit, qui græcas literas condiscere nec erubuit Consul, nec desperavit senex.

Illum denique privata *Eruditorum Societas*, tribus jam editis argumenti Mathematici, Physici, & Historici voluminibus celebris, Auctorem respicit.

Atque ideo mirum videri minime debet, Illustrissimo *Kinskyi* Nomine passim insigniri libros, quos Eruditissimi Patriæ Nostræ Scriptores, maximo Rei Literariæ bono in lucem proferunt, me vero pauca hæc innuisse potius, ac conticescere, quam imparibus laudibus immor-

mortalia Illius in Bohemiam merita elevare vel-  
le; quas scribendas magis exercitatio, auctiori-  
que ingenio relinquo. Ista tamen (Syllibdia)  
allata non moleste feret Clarissimus *Heros*, quod  
lecta juvenibus nostris ad Matheseos studium  
calcar addent.

## LENOARDVS HERGET.

**L**eonardus *Herget* Angelo-Domensis Bohe-  
mus, AA. LL. & Philosophiæ in Vniversita-  
te Pragensi Doctor, & Mechanices Professor  
Regius.

Ab anno 1767, quo fatis cessit *Fereinandus*  
*Schor* supra laudatus, in ejus locum ab Inclytis  
Bohemiz *Statibus* suffectus, dignitatem hanc so-  
lo ingenio, & egregia jam tum Matheseos cog-  
nitione sibi peperit: uti de *Steplingo* scriben-  
tes ostendimus.

Prælectionum hanc fere habet materiem:  
Arthmeticam, Algebram, Geometriam,  
Mechanicam, Hydrostaticam, Hydraulicam,  
Pyrotechniam, utramque Architecturam, Per-  
spectivam, cum arte delineandi; quarum Scien-  
tiarum Elementa discantium bono conscripsit.

Vt Geometriam Practicam Auditores sui,  
quorum centum plures, nec paucos Militari  
officio conspicuos numerat, facilius, felicius-  
que combibant, elegantibus instrumentis a *Bran-  
dero* factis instructus, Regionem Pragæ vici-  
nam illis comitantibus peragrat, hicque om-  
nia *Eutbymetriæ*, & *Epipedometriæ* mysteria  
optima in luce constituit.

Qua

Qua Ejus indefessa solertia fit, ut ex disciplina sua prodeuntes videat Viros, Pacis & Belli tempore utilissimos

Ipse vero præter quotidianum docendum, negotiis publicis magnopere distinetur, potissimum vero Moldavæ fluvio; qui ut navibus ferendis par reddatur, *Hergetum* cum aliis ad opus hoc delectis, diu jam sollicitum tenet.

Plura non addam: cum notiora sint Integerrimi, Doctissimique Viri in Rempublicam Literariam merita, quam ut Præconio meo opus habeant.

## IOANNES POSSIVAL.

**I**oannes *Possival* Reginae hradecensis Bohemus, natus 25 Decembris 1739 Societati Iesu adscriptus 5 Februarii 1755. mihi a puero familiaris. Cum Philosophiæ studium in Carolina *akroaticis* publica disputatione concluderet; singularia accerrimi ingenii sui edidit specimen, quod etiam Humaniores litteras in aliquot Gymnasiis docendo non obscuris indicis prodidit.

Quare an. 1763. sublimiori Mathesi *Tessanekio* primus instituendus traditur, in qua tantus evasit, ut jam tum tradendis his disciplinis destinaretur. Eas subinde Sacerdotio initiatus in Nobilium Convictu Olomucensi *Biennio* explicuit; continuo sublimiori Mathesi excoluit Socios eodem prorsus anno, sub cuius finem  
Pub-

Publicus ejusdem Scientiæ Professor in Univer-  
sitate *Julio-montana* est nominatus. Et adivisset  
munus hoc, nisi inauspicato, suppressa Iesu So-  
cietate, aditu prohibitus fuisset.

At ille sibi minime defuit, AA. LL. Phi-  
losophiæ, & Theologiæ Doctorem se renunti-  
ari jussit, quod istis honorum gradibus dignum  
se olim jam præstiterit.

Viennam demum rem suam apud Augustam  
acturus concedit, hinc Olomucio restitutus ita  
ad me Pragæ die 15 Martii anno 1774, scribit:

*Viennæ caussa mea ita confecta est, ut in  
hunc annum 200 florenos Augusta mihi adde-  
ret, sequente vero, ubicunque libuerit (nam Olo-  
mucensem Academiam expressis verbis respui)  
munus docendi mihi decerneret. Alter visum est  
est superis, quorum beneficio Paraciam Bucblovi-  
ensem in Moravia suscepi, ad quam curandam eo  
plane tempore evocatus sum, quo a Patribus The-  
resianis ad prælegendas disciplinas Mathemati-  
cas (Nam P. Mako propediem remittet nuncium)  
invitabar. Cætera eo loco sunt, ut nemini invide-  
am, mihi nihil ultra cupiam. Vivit etiamnum  
Sacer Curio,*

Parata pro typo habebat in futuros usus  
Elementa Matheseos, sed illa hactenus lucem  
non viderunt.

## ANTONIUS STRNAD.

**A**ntonius Strnad Nachodiensis Bohemus, na-  
tus 1747, 10 Augusti, Reginahradecii a  
Pa-

Patruo suo Ecclesie Cathedralis Canonico, Vi-  
ro integerrimo, ac doctissimo educatus. Hic  
absolutis Humaniorum literarum studiis Socie-  
tatem Iesu expetiit, ad quam 1763. 21 Octo-  
bris est admissus. In ea Univerſe Philoſo-  
phiæ placita propugnavit, Mathesim *Biennio*  
repetiit, Grammaticam docuit. Nunc Astro-  
nomi Cæsarei Socium agit, Observationibus  
tam Astronomicis, quarum per septem & ul-  
tra annos egregium jam usum acquisivit,  
quam Meteorologicis clarus; quæ in *Actis So-*  
*cietatis Privatæ* sub finem singulorum tomo-  
rum extant. Ob insignem Mathematicam pe-  
ritiam Illustrissimo Comiti *Kuskio*, & *Stephlingo*  
nostro charissimus.

## IOSEPHVS SONNER.

**I**osephus Sonner Plsnensis Bohemus natus 1748.  
10 Martii. Societatem Iesu ingressus 1766.  
9 Octobris. In hac pari studio virtutes, atque  
literas coluit. Mathesi tamen peculiariter se  
addixit, in disciplina *Tessanaki* biennio relicto  
eo progressu edito; ut sublata Iesu Societate  
Mæcenatem suum, nunquam satis laudandum  
illustr. Comitem *Kinskium* haberet. Ab eo,  
nascentem pretiosissimam *Naturalium Collec-*  
*tionem* curandam accepit, primusque *Tbesau-*  
*rum* hunc in ordinem redigere, translatoque  
e Carolino, in Clementinum Collegium invi-  
gilare cœpit. Sed hic labor otii instar *Son-*  
*nero* erat. Eum specula Astronomica suum  
continuo futurum Præfectum expectabat, huic  
ut



ut se aptaret muneri, dies noctesque siderum scientiæ studendo impendit. Quo factum, ut nimium. census cito rumperetur arcus: nempe fractis immodica animi contentione viribus extinctus est Mense Ianuario anni 1776. maximo sui desiderio relicto. Elatus ad Servatoris Nostri Templum ad pedem Pontis situm, magna populi frequentia.

## MACHINAE HYDRAVLICAE ET ROTATAE.

**N**on potui a me impetrare, ut quæ tam a *Balbino*, quam *Ioanne Korzinek S. I. in Antiquis memoriis Cuttnensibus* describuntur Machinæ, hic tacerentur. Produunt enim jam ante annum 1475. quo *Wladislaus* regnabat, in gente nostra eos artifices extitisse, qui singulari ad res arduas perficiendas dexteritate a natura fuerint instructi.

Et quidem, ut aliquid solum attingam, opus aquarium apud Patrem *Korzinek*: depictum, descriptumque memorabile est: Illius ope aqua ex fossis *Cuttnensibus* 372. ulnas *Pragenfes* profundis hauriebatur, easque siccabat, Machinam animante rota directa habente diametrum 23. ulnarum & dimidiæ, ad quam propellendam aqua deducebatur ex tenui & multo profundiore per altissimum montem rivo. Opus ipsum constabat 59. Tubis ope ventilium aquam per intervalla sorbentibus, ut haustam ab infimo, inque vas contiguum

guum egestam, proximus, ex vase sorberet, sequentique porro hauriendam adferret. Mollis Authorem ferunt fuisse quemdam *Eliam Kynter*, propterea aeterna apud Cuttneſes memoria donatum.

Non minoris Artificii Machinam describit *Balbinus* L. 3 Decadis 1 Miscell. Histor. Cap. 13 §. 3. Przbirami super fodinas argenti olim constitutam. Quae aquam fodinas mergentem rivuli cujusdam beneficio mirabiliter die nocteque nunquam interrupte extrahebat ab imo, illamque alium in locum effundebat; ibidem operis totius imago deprehenditur: cujus Authorem vilissimum quemdam molitorem ne nomine, quidem cognitum extitisse ferunt. Adeo praestantia apud nos etiam in humili fortuna nascuntur ingenia.

Hujus quoque loci est, Horologium artificiosum, quod in Curia Pragae Veteris etiamnum conspicitur, De illo multis *Balbinus* Capite 12 nunc laudati voluminis:

Magister *Hanus* praecipuus in Universitate Carolina Mathematicus, & Matheseos Professor, cum Magistro *Iacobo* Discipulo suo, circa annum Domini 1490. Automa istud perfecit: quod subinde ab imperitis ejus curatoribus maxima damna accepit; explicat illa in suo tractatu *Ioannes Taborsky*, qui ad ea reconcinnanda anno 1552. necessario debuit admoveri. Erat hic Astronomia excultus imprimis, & in Academia Pragensi jam anno 1519. Mathematicas omnes disciplinas perceperat

Ma-

Magistro *Paulo Przibram* docente. *Taborsky* consilio cum plurimis, quos & Astronomiæ, & Machinarum peritos intellexerat inito, totius *Horologii* Machinam dissolvit, & correctis omnibus, iterum suis omnia locis restituit. Singula a se præstita suo illo *Tractatu* prosequitur, atque hunc laborem feliciter absolvit anno 1557. multis ob eam rem a *Senatu Vr-bico* pretiis cumulatus, & stabili, quam diu viveret censu honoratus. Huic. Socius, & Discipulus, & omnium curarum particeps fuit *Jacobus Spaczek* a Magistro multis in locis laudatus.

Porro *Ioannis Taborsky* Bohemicum Opusculum, Senatui Pragensi ab Authore ipso anno 1570. dedicatum, copiose recenset *Balbinus*. Et primo quidem, ut hoc unum dicam, Horologii hujus præstantiam ostendit, appellat *effigiem Cæli*, & *primi mobilis simulacrum*; patere in hac mole, quando, & in quo signo *Zodiaci* Sol oriatur, & quo gradu decurrat, qua hora se terris ostendat, quando medium Cæli occupet, quando occidat, quam alte ab Oriente, & Occidente super Horizontem feratur, quam procul a Meridiano distet; quam diu, apud Antipodas decurrente *Sole*, carituri nos simus; quantum rursus accedat. Jam de *Luna*: & *Lunæ* globo ostendi, quam adulta sit, quam nova, quadrantes omnes videri, in quibus signis versetur; in *Zodiaci* circulo, quæ signa orientur, quæ decendant; horas *Planetarum* inæquales constanter indicari;

Ca.

*Calendarium festarum*, item quomodo *Bissextilis* annus efficiatur, manu demonstrari, tum *aureum Numerum* a 21 Martii ad 28 Aprilis; ut eruditi quocunque anno in omne tempus futurum, *Pascha* celebrandum sit, possint prædicere.

Omnia hæc ex *Balbino* excerptimus, ubi alia etiam a *Schlayero* Iesu *Horologii* nostri descriptio legi potest, uti istud supra indicavimus.

Huc simul referri debet, quidquid in ædificiis turritisque molibus præclarum habet Bohemia, quis enim ignorat, ista ab ingenio Mathematico proficisci? Talis erat, quondam *Turris Pragæ*, quam *Rezek* Mathematicus *Carolinæ* Vniversitatis extruxit, de qua *alio loco* fusius, quam §. 8 Lib. 3 C. 10. *Decadis* citata faciat, acturum se promisit *Balbinus*.

## MVSAEVM MATHEMATICVM COLLEGII CLEMENTINI.

**H**oc nomen accepit quinque conclavium sibi contiguorum pulcherrima Series. Apparatu Machinarum artificiosarum, rerumque in natura rariorum insignis, Opus studio, ac indefesso Patrum Societatis Ietu labore cæptum, atque ad eam elegantiam, quam peregrini, etiam Regia Dignitate conspicui, videre expetebant, & mirabantur, perductum.

Plerique enim e Patribus, cum primis vero *Mathesi* addicti, quam bona Moderato-  
rum

rum venia habebant pecuniam, jam in instrumenta Mathematica, jam in molienda diversa automata, jam in *Naturalium collectionem* impendebant. Iis vita functis huc redibant omnia. Si singula minutim persequi velim, nã ego opus Patris *Bonnani* Musæo Kircheriano suppar perficere me posse credam.

Sed non is mihi est animus; quod conatus mei exiguum foret pretium, cum, qui aditu Musæi nostri prohibeatur, inter honestos Viros sit nullus.

Satius igitur erit Eorum meminisse, qui de illo bene sint meriti, quam quid posteris spectandum reliquerint enarrare: præter supra laudatos *Krezam*, *Fliegerum*, *Kleinium*, *Lewaldt*, *Wendlingen*, *Waebner*; *Franciscus Zeno* porro nominandus est, ultimus Societate Iesu existente Musæi Præfectus, quod minerarum, lapidum preciosorum, petrefactorum, conchiliorum multitudine, sua industria parta, inque ordinem pulcherrimum digesta locupletius fecit. Cl. *Steplingus* hodie, ei in alium locum angustiores quidem translato, invigilat, neque studio ulli parcat, quo ornatum ac suppellectilem illius augeat. *Ioannes Zobel* e Soc. Iesu anno 1770. 22 Ianuarii vivis ereptus, insignem Musæo nostro reliquit thesaurum, elegantem nempe lignorum Bohemiarum omnium collectionem, imaginum ligno, atque æri incisarum ab ipsis artis hujus initiis unde unde comparatarum vim ingentem, nummorum etiam rarissimorum copiam. *Nicolaus Krebs* e

H

Soc.

Iesu Teschinentis Silesius in Mechanicis admirandus, Musæo Præfectus, simulque Philosophicæ Facultatis anno 1772. Decanus. A Machinæ Electricæ *fortificatoris* hic nunquam ante viso, ad effectus fulmineos producendos a se invento, perfectoque notissimus.

## IMAGINES.

**H**oc capite istud negligendum minime putavi, ut posteritas sciret, unde Imaginum figuris Mathematicis distinctarum origo esset repetenda, quæ sublata Societate Iesu, publica auctione instituta, inter eminentes sunt distractæ.

Seculo 17 & initio labentis mos hic in Univerſitate Carolo-Ferdinanda obtinuit, ut sub solennem Magistrorum Philosophiæ inaugurationem Matheseos Professo. Problema resolvendum proponeret, illudque in rectangulari Tabula sat ampla, picturis elegantibus juxta, ac proposito accommodatis ornandum curaret, & in aula Carolina confluenti ad spectandum populo exhiberet.

Ingens ejusmodi imaginum numerus erat in Collegio Clementino, pleræque immortalis *Scretæ*, & *Heinschii* penicillo adumbratæ. Aliquæ etiamnum in limine Musæi Mathematici, & Theologico Acroatiario conspiciuntur.

Argu-

Argumentum problematum modo ex Astronomia, alias Gnomonica, vel Mechanica, interdum Optica, jam Geometria practica, aut Phonurgia, aliisque Matheseos parte assumebatur. Exempli gratia :

*Quodnam sit optimum horologium etiam pro itinerantibus?*

De Vero & primo Inter specula Vistoria.

*Arti non officit umbra.*

*Vtrum facilius sit terram loco movere juxta promissum Archimedis, an illam ele-  
trificare? anno 1747.*

*An ad Staticam determinandam corporum gravitatem aptius medium sit aer, an aqua? anno 1748.*

## EPILOGVS.

**H**istoriam Matheseos in Bohemia nostra, vicinaque Moravia a Viris posterorum memoria dignissimis excoltæ ad finem deduximus, quantum licuit accuratam, quod decuit, modestam, & quod oportuit, circumspectam. Viri in Vratislaviensi Vniversitate Scientia hac clari isthic laudari etiam debebant, nempe in Bohema Societatis Jesu provincie enutriti.

Ha

At-

Attendentis ad singula cogitatio hæc animum facile subibit: prima ab Academiæ Pragensis exordio tempora Astronomiæ, maxime vero Astrologiæ a Majoribus nostris fuisse impensa. *Tyrbone* deinceps & *Keplero* feliciter in Astrorum scientia versantibus.

Seculo septimo supra decimum ineunte, Gregorii a S. Vincentio opera, Curvarum Geometria novum accepit habitum. Demum Euclidis Elementis resolutione utilium, & jucundorum Problematum altius provehendi consultum est ab *Hartmano*, *Iacobo Kreza* Analysis Algebraicam præclare tractante. In Arithmetica, Gnomonica, Mechanica, Optica practica passim elaboratum.

Nostri hujus ævi initia calculi Differentialis, & Integralis usu honestata sunt ab Illusterrimo Comite *Herbersteinio*, tandem a *Kleinio* in construendis automatis, tam Musicis, quam Geographicis, & Astronomicis collata opera:

Donec Aristotèle e Scholis exesse jussu, illataque sanioris Philosophiæ luce, Matheseos studio parva, simul Mathesis olim Peripateticis inutilis visa, cepit esse necessaria; hinc plures continuo amatores nata est, atque ad eum apicem nostra ætate perducta, ut nullam illius partem desideremus, in qua juvenus institui nequeat, & aliqui non emineant.

Sed



Sed tamen quid est? quod tot *feliçes*, ut canit Ovidius, *animas*, quibus hæc cognoscere primum, inque domos superas scandere cura fuit. Non numeremus, quæ cum infelicibus harum artium ignaris, componi possint?

Quid est inquam? quod vestrum, vos enim alloquor Auditores mei, quamvis non sanior, pars abhorreat a suavissima hac, & cuiusvis intellectu rite uti volenti, necessaria disciplina? Deest discendi opportunitas? tenetis vel me in omni Matheseos parte Magistrum.

Institutores progressus vester minus habet sollicitum? Testis sit Deus! an major matribus, an mihi vestrum sit cura. Animus forte hebetior est? mementote Bohemos vos esse, quos *Iulius Solimanus* e Soc. Iesu homo Italus, in hac academia quondam eloquentiæ & philosophiæ Professor aptissimos scientiis etiam difficillimis una, atque altera oratione demonstraverat.

Dicam jam, quod sentio, uti cordatum Bohemum decet: vestra juvenilis ætas in causa est, quæ & præmiis excitari, & metu adstringi debet, illa non videtis, ignari a vestra diligentia esse aliquando expectanda. Metum vero, si quo ipse ego vos concutiam, vanum fuisse deprehenditis; imprudentes enim eo solum consilio scholas istas aditis, ut ex iis ad alias convoletis; atqui transitus a bonis

Vi-

ris ad *Facultates* altiores vobis conceditur, quin mihi probati intelligamini, ex quo stultissime concluditis, *Matheseos* cognitione vos destitui, illudque pretiosissimum tempus *ignobili otio* vobis quidem grato, sed pernicioso conteri posse, quod *Matheseos* studio tribuendum erat.

Habete deinceps præ oculis tam illustris Majorum Vestrorum exempla, iis ad paria audenda excitemini. Non retrahat a proposito quemquam ignarorum turba, qui vel molliculi severam prima fronte *Mathesim* aggredi verentur, vel stupidi penetrare nequeunt, nolim infelicem eorum augeatis numerum.

Hæreant animo profunde impressa, & nulla unquam ætate obliteranda Sapiientissimi Viri *Hieronymi Wolffii* verba; ita ille in commentario ad *Somnium Scipionis* habet: *Non in minima calamitatum mearum parte illud numero, quod Mathematicas disciplinas, quæ vel imprimis divinitatem humani ingenii arguunt, & adyta arcana Philosophiæ patefaciunt, perdiscendi, & pertractandi occasio, & otium adolescenti mihi defuit, ac ne senescenti quidem ad eas, veluti postliminio redire licet. Quod ideo commemoro, ut adolescentes occasionibus utantur, paucis enim in gravescente ætate philosophandi, ut Cato Censorio potestas datur.*

Ego

*Ego vero, ut Tractatui huic verbis  
Tannstetteri finem imponam: Præceptorum  
meorum doctrinam, & præcepta imitatus,  
Cathedram in Mathematicis disciplinis, an-  
nuente Deo, & Invictissima Imperatrice MA-  
RIA THERESIA, jam teneo, has artes  
pro mei ingenii viribus profiteor. Quodsi De-  
us Cælorum pius arbiter vitam mihi longio-  
rem concesserit, curabo ne a tam doctis, &  
exquisitissimis Præceptoribus prorsus  
degenerare videar.*



I N-



# I N D E X.

## MATHEMATICORVM, HOC O- PVSCVLO LAVDATORVM.

### A.

	Pag.
<b>A</b> dalbertus Bohemus, S. I. :	31

### B.

<b>B</b> achacius Martin. :	45
Bavor Rodowsky. . . . .	19
Behm Georgius, S. I. . . . .	58
Bergmann Ioseph. . . . .	97
Bocatus de Certaldo Ioan. . . . .	9
Bydczovinus Marcus. . . . .	44

### C.

<b>C</b> aramuel de Lobkovitz Ioan. . . . .	52
Cha-	

# I N D E X.

	Pag.
Chanowsky Albert, S. I.	41
Christannus (M.)	10
Clattovenus Andreas	18
Claudinus Ioannes, S. I.	74
Codicillus Petrus	31
Conradus Balthasar, S. I.	48
Copylius Matthæus, S. I.	62
Czimmesmann Ioan. S. I.	60

## D.

Dasypodius Wencesl.	39
Dobrzensky Iacob.	55

## F.

Fabri Wencesl.	15
Flieger Caspar, S. I.	70
Fuchs Adam	72

## G.

Gallus (M.)	9
Gelenius Ioan.	16
Gerck Maximil, S. I.	80
Gerl Georg.	38
Gruber Bernard, S. O. C.	74
Gryl-	

# INDEX.

	Pag.
Gryllus Mathias.	37

## H.

Hancke Ioan. S. I.	61
Hanus (M.)	110
Hartmann Sigismundus, S. L.	63
Heinisch Iacob. S. I.	92
Heinrich Christoph. S. I.	70
Hetberstein Ferdin. S. R. I. Comes	66
Herget Leonard.	105
Hayecius Thadæus	26
Hlawfa Paulus, & Wencesl. Zatecens.	15
Hortensius Ioan.	17
Hoyer Ioannes.	74

## I.

Iacobus (M.)	110
Ioannes de Praga	10
Iosepho a S. Aug. Thomas PP. SS.	64
Iünglingk Ioan.	82

## K.

Kepler Ioan.	38
Kinner Godefrid.	56
	Kin. / 8

# INDEX.

	Pag.
Kinnost Anton.	73
Kinsky Franc. S. R. I. Comes	103
Kirwitzner Wencesl. S. I.	46
Klein Ioan. S. I.	75
Körber Ioan. S. I.	96
Krebs Nicol.	113
Kreza Iacob. S. I.	68
Kurtzius Albert. S. I.	50
Kynter Elias.	110

## L.

Langer Carol. S. I.	80
Laurentius (M.)	14
Leovitius Cypr.	20
Lewaldt Ioan. S. I.	77
Lux Christ. S. I.	60

## M.

Marcus Marci	50
Martinus Bohemus.	14
Moretus Theodor. S. I.	53
Mühlwenzel Ignat. S. I.	81
Müller Ioan.	72

## P.

Partlicius Simeon	46
	Peli-

# I N D E X.

	Pag.
Pelicanus Wencesl.	71
Polansky Nepom. S. I.	97
Possival Ioan.	106
Præfat de Wilkanowa Vlríc.	19
Przibramus Paulus	16

## R.

Reinld Paulus, S. O. B.	79
Rezek (M.)	112

## S.

Sagner Caspar	94
Scheffer Vitus S. I.	61
Schmidt Steph.	96
Schor Ioan.	77
Sonner Ioseph.	108
Spaczek Iacob.	111
Sfindelius Ioan.	11
Sslyer Benjamin, S. I.	57
Sfudus Nicol.	17
Stanfel Valent. S. I.	59
Stepling Ioseph.	82
Stiborius Andreas	13
Strnad Anton.	107
Swoboda Fabian.	73

Ta.



# INDEX.

## T.

Pag.

<b>T</b> aborsky Ioan.	111
Tessanek Ioan.	98
Theobaldus Zachar.	47
Thomas Georg. S. I.	75
Tycho Brahe.	32

## V.

<b>V</b> aehner Zacharias.	100
Vincentio a S. Gregor. S. I.	42
Vrfus Nicol.	40

## W.

<b>W</b> endlingen Ioan.	93
Weffely Wencesl.	73
Worel Carol. S. I.	72

## Z.

<b>Z</b> eno Francif.	113
Zobel Ioan, S. I.	113

*M O-*

## M O N I T V M.

**S**i quos Mathesi apud nos claros scias, a nobis omisso, non id adscribas velim invido Eorum gloriæ silentio nostro, sed ignorantioni: neque enim omnium hic merita laudata esse nobis promittimus, sed plurimorum, in quorum notitiam immodica diligentia adhibita, licuit venire.

Deinde Chronologiæ non tam religiose studuimus, ut eo omnino ordine singuli se exciperent, quo vixerunt; sed solum, ut aliqua, quantulacunque demum, inter Illorum ætatem, nostramque seriem esset contentio.













Buchbinderel  
**H. Pantale**  
8012 Riemering/Mg.  
Telefon 6 01 63 20

Digitized by Google

